


ANIMADVERSIONES

PRACTICAE

IN

DIVERSOS MORBOS

AUCTORE

JOSEPHO L. B. DE QUARIN,

SACRAE CAES. REG. APOST. MAJ. CONSIL. ET ARCHIAT. FACULTAT. MEDIC. SENIOR. SOCIET. MEDIC. HAVNIENS. LONDINENS. MADRITENS. VENET. PATAVIN. VILNENS. ET OECONOMIC. AUSTRIAC. MEMBRO.

TOMUS SECUNDUS.

EDITIO AUCTA.

VIENNAE 1814,
APUD CAROLUM SCHAUMBURG ET SOC.

Medicus morbum ingravescentem ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator, et tamen hi ipsi sæpe fálluntur.

Cic. de divinat. L. 2do.

Caput XXIV.

De Apoplexia.

Apoplexiæ rure, quam in urbibus rariores, viros crebrius, quam ſeminas corripiunt. An ob menstrua, an ob vitam istarum magis sobriam?

Fossores metallorum non adeo apoplexiæ obnoxii sunt, ut Ramazzini notat.

Plures maniacos apoplexia interiisse novi.

Asthmatici in apoplexiam proni sunt.

Hæreditarius hic quibusdam in familiis est morbus.

Circa æquinoctia, et solstitia crebrior observatur, unde natæ fortassis majales curæ, et venæ sectiones.

Immortali vir memoria dignus Morgagnius juvenum apoplexias cito lethales evadere, senum in diuturnas resolutiones abire ait.

Inter bona signa numeratur hæmorrhagia narium, sed si non cito levamen sequatur, pessimum indicat. Quæ nullis antegressis signis, veluti gravedine capitis, vertigine etc. ingruit, ea periculi plurimum habet, cum aut a polypo in-

terno, aut a vasis ruptis originem ducat; illa vero gravissima, cum uno corporis latere paralysi correpto, altera vehementius convellitur.

Neminem unquam vidi, qui, si manum eidem capitis parti crebrius admoveret, mortem effugisset, etsi cetera symptomata non ita gravia viderentur.

Laudant quidem largum urinæ profluvium, sed e reliquis symptomatibus intelligendum, an non ex resolutione hæc evacuatio orta sit?

Sudorem copiosum ac validum e toto corpore manantem multi salutarem esse censent: ego eum lethalem reperi, ubi in principio morbi absque febris imminutione animadvertitur.

Superveniens apoplexiæ frigidæ febris, eam quandoque solvit, si respiratio inde levetur; ast ubi hæc gravior evadit, pessimum denotat. Hinc recte Piquerius regis Hispaniarum Archiater monet: solvi apoplexiam febri, illico superveniente, nequaquam vero, ubi aliquanto post, et confirmato jam morbo accesserit a).

Quidam nullis functionibus corporis læsis per complures annos pulsum habent perpetuo intermittentem; hi frequenter repente extinguuntur, uti illi quoque secundum Hippocratem qui sæpe absque manifesta causa animo linguuntur.

---

a) Prax. med. Tom. I. pag. 46.

Horum cadavera aut polypos aut vas ruptum in præcordiis exhibent.

Excellentissimus Comes de Sailern, Cæs. olim in Anglia legatus a virili ætate pulsum fortem, durum et valde intermittentem absque incommodis ad septuagesimum usque annum habuit, qui ultimo vitæ decennio in naturalem mutabatur; octuagesimo tertio ætatis anno ex catarrho neglecto obiit.

In apoplecticis post annosas cephalalgias et vertigines potissimum tumores aut excrescentiæ in capite reperiuntur.

Ubi a vi externa apoplexia octa est, etiamsi symptomata emendentur, si rigor accedat, cita mors sequitur.

Omnia, quæ cerebrum comprimere possunt, in causis apoplexiæ numeranda esse censent authores: sed et vulnera cerebelli sanata fuisse accepimus, et puerum quemdam, qui scirrhum cerebelli diuturnum circumferret, vidit Hallerus a).

Inter causas apoplexiæ numerat Clar. Walter venas duræ matris diu extensas, medulam cerebralem, nervorumque origines ita comprimentes, ut fluidi nervei influxus intercipiatur.

Non raro ex ingluvie oritur. Lancisius observavit sobrios vix unquam apoplexia corripi.

a) Physiol. corp. human. Tom. I. pag. 477.

An non quandoque a paralysi et quiete cordis nascitur? cui opinioni Tissot favet.

Sæpe in cadaveribus nihil repertum est, quod adferre mortem potuisset Willisio, Morgagnio et Ballonio a) observante, velut si cum anima causa quoque mortis fugisset.

Videtur in apoplexia quandoque adesse spasmus ad totum systema nervosum se extendens, et congestiones in encephalo creans, ut ex apoplexia a terrore nata patet.

Nonnunquam aëri quidquam inesse probabile est, quo fons et principium vitæ deleri possit. Animadvertente Weikardo b) certis temporibus apoplexiæ et paralyses grassantur, quarum nulla satis certa causa adparet.

Inter apoplexiæ causas referenda quoque est salivatio mercurialis frigore interrupta.

A dormitoriis recenter calce illinitis, ac præcipue plus æquo calefactis Lancisius apoplexias, van Swieten hemiplegias ortas vidit prorsus insanabiles. Refert quoque Plinius lege apud Romanos cautum fuisse, ne quis intra triennium in ædificiis recens exstructis habitaret.

Cum senes, tum alii quoque ex nimia venere ob virium vitalium defectum apoplexia pereunt.

---

a) Cons. med. Lib. III. Cons. 71. Tom. III. p. 339.
b) Vermischte mediz. Schriften.

Divisio in sanguineam et serosam ad praxim sufficit, nam quæ a polypis, aut atra bile mota nascitur, immedicabilis est.

Sola plethora rarius apoplexiæ causa est, nisi per consuetos sanguinis fluxus cohibitos, transpirationem subpressam, vomitum, iram, opium, spirituosa sanguis magis ad encephalon determinetur.

Sanguineam non raro præcedunt: dolor capitis, venarum præcipue jugularium inflatio, facies rubra, tinnitus aurium, vertigo, torpor, pulsus plenus, major corporis calor, tremor, vacillatio corporis, oculi scintillantes, sed sæpe hic morbus sine signis prægressis ingruit.

Pituitosam antecedit absentia antea dictorum signorum, somnolentia, hebetudo sensuum, oculi pallidi, pigritia ad motum exercendum, pulsus inæqualis, intermittens, urina copiosior; quandoque pituitosus humor ex ore et naribus effluit.

In apoplexia sanguinea æger erecto trunco declivibus cruribus, nudo capite, tecto parum reliquo corpore collocandus est, arcenda turba hominum a conclavi, cavendum item a frictione corporis, ab odoriferis, spirituosis.

Venæ sectiones institui et repeti debent, sed uti Lieutaud præcipit a) ne athleticis quidem tantum sanguinis detrahendum, ut calor nativus solvendo morbo necessarius exstinguatur.

a) Synops. univers. prax. med. Tom. I. pag. 477.

E jugularibus nonnisi post prævias phlebotomias sanguis mittendus, ne collo fascia constricto vasorum encephali plenitudo augeatur.

Hirudines pone aures, si vero hæmorrhoides tumeant, ano adplicandæ sunt. His non levantibus Aretæus cucurbitulas occipiti adfigi, sanguinemque largiter educi jubet, unde præsens auxilium natum esse vidit Sennertus.

Si inter sanguinis missiones pulsus fortior evadat, et intermittat, nonnunquam, quin symptomata imminuantur, mors imminet.

Actum est de apoplexia sanguinea correpto, dum largæ et repetitæ venæ sectiones prima die institutæ nullum levamen adferunt.

Sinapismi pedibus adplicandi sunt, vesicantia nonnisi sanguine quantum opus est, detracto, et humorum orgasmo imminuto indicantur.

Clysmata solum antiphlogistica conveniunt. Tres item, quatuorve unciæ aceti aqua diluti ano injici possunt.

Absint purgantia drastica. Sed nimis meticulosi sunt, qui leniora timent. Hinc propinare licet mixturam salinam, ut corpus sæpius purgetur, facta purgatione, eidem mixturæ extractum arnicæ ad grana vjjj — xii et amplius addendum est.

Ubi sanguine misso æger levatus est, sed pulsus in debilem mutatur, facies pallidior eva-

dit, spiritus Mindereri, et moderata camphoræ dosis cum nitro locum habet.

In apoplexia, quæ sanguineos post insolationem, spirituosorum abusum corripuit, fomentum Schmuckeri tentari poterit.

℞. Aqu. fontis lb. x.
Acet. optim. lb. ß.
Nitr. drach. jj.
Sal. ammon. unc. j.

Inter se mixta frigidiuscula adplicentur.

Suadent nonnulli, ut glacialia capiti fomenta adplicentur, quod sperant fore, ut lacerum hinc vas contrahatur, effususque sanguis insugatur, cum hic aliquando sponte dissipari videatur, teste Wepfero a); sed si consideremus ex aspersa improviso ad nucham, et caput frigida, cæcitatem, et immedicabiles paralyses exstitisse, facile patet, quam infidum hoc remedium sit, quamque inimicum famæ Medicorum vix alia re quam Celsi effato excusabile: melius est anceps remedium experiri, quam nullum.

Noxia vero forent, ubi facies pallida, pulsus debilis animadvertitur.

Commendantur emetica præcipue, si diætæ error præcessit. Neque successu hæc methodus interdum caruit; verum cum vomentibus fere omni-

a) Hist. apop. observ. illustr.

bus facies turgeat, oculi cum tumore rubeant, encephali vasa inflentur, et nonnunquam in sanguineis sumpto emetico apoplexia successerit, facile intelligi potest, quam periculi plenum hocce remedium sit.

Errant, qui ob solum materiæ biliosæ vomitum propinant emeticum, cum e plethora caput obturbante nausea et vomitus biliosus oriri possit.

Cl. Murray a) minus favet emeticis, ea ex ratione clysmata ex decocto foliorum tabaci parata improbat propterea, quod vomitum cient.

Emeticum Nicolai b) monente incertum est remedium, nec profuturum, nisi causa mali in ventriculo latitet.

Burserius cum Morgagnio non semel vomitoria in prædispositis ad apoplexiam perniciosa vidit, et ea fortiora merito inter causas apoplexiæ numerat.

Vix cienda emesis videtur, nisi constet ægrum paulo ante morbum nimis replevisse ventriculum, imo in magno dolore capitis si ægri biliosa vomant anceps remedium est emeticum.

A pluribus vitriolum album a granis xv — xxx et ultra exhibetur ad vomitum cito moven-

---

a) Mat. med. Tom. I. pag. 472.

b) Recept und Kurarten.

dum, sed nativum præsertim Goslariense non tutum omnino remedium esse videtur, cum de zinco, ferro, cupro et plumbo participare soleat.

Præstat penna fauces irritare, quam emetica violenta propinare.

Minime tepido aut mellito potu promovenda vomitio est, ne ventriculus magis distendatur.

Si reconvalescentes ob nullam, vel leviorem causam facile lacrymentur, recidiva metuenda est.

Si ægri apoplexia et hemiplegia fugata absque causa delirent, post obitum serum aut sanguis in ventriculis cerebri reperitur.

Ne malum redeat, juverit interdum in plethoricis sanguinem mittere, quamquam id solum non sufficiat, cum phlebotomia corpus ad novam generandam plethoram disponat. Itaque lenia purgantia, ut aquam angelicæ, sal mirabile, amarum quandoque exhibere oportet, et diæta tenuior observanda est, quæ tamen raro obtinetur, cum hi ægri duplum ejus, quod sani solebant, et comedant, et digerant.

Abstinendum pomeridiano somno, qui plethoram auget.

Cavendum a nimia collaris adstrictione, cum ex ea et in recte valentibus hæmorrhagia narium, et pertinax cæphalalgia sæpius nascatur.

In apoplexia serosa clysmata acriora N. 22. e sale amaro, aut tartaro emetico injicienda sunt.

A decocto tabaci in clystere exhibito præcordiorum anxietates, lipothimias, et frigidum circa frontem sudorem exstitisse Practici observarunt.

Purgantia validiora in apoplexia frigida minori volumine præscribenda sunt, ut eo facilius deglutiantur.

. Resin. jalap. scrup. j.
Tere cum jv. nucleis pini
adde
Syrup. rosar. solut. dr. vj.
Sumat omni quarta horæ parte dr. jβ. donec purgetur.

℞. Extr. jalap. aquos. dr. jβ.
Aqu. fœnicul. unc. jjβ.
Syrup. de duabus unc. β.

Sumat omni quarta horæ parte unciam dimidiam.

Odorifera e spiritu cornu cervi aut salis ammoniaci naribus admoventur, sed vix quidquam proderunt nisi purgantibus et clysmatibus acrioribus causa comprimens derivata fuerit.

Cucuphæ ex herbis cephalicis, velut rore marino, lavandula etc. compositæ conveniunt.

Vesicantia artubus ipsique capiti adponenda sunt.

Aegris habitus laxi et tumiduli frictiones, in-

unctiones cum linimento volatili, vel tinctura cantharidum opem ferunt.

Tentari item sialagoga possunt, quæ humores educunt, et ad externarum carotidum ramos determinant.

Sternutatoria haud omni periculo vacant.

Sæpe multumque quæsitum est, an venæ sectio in apoplexia serosa locum habeat?

Ill. van Swieten levem sanguinis detractionem concedit, ut Medici famæ consulatur, et stimulantia tutius adhiberi possint. Morgagnius eam necessariam esse judicat, ubi et in apoplexia serosa sanguis vasa distendit. Cel. Portall in serosa apoplexia accumulationem sanguinis in cephalo observavit.

Hac in re pulsus, vires, et vitæ ratio anteactæ lucem præbent; nam qui male nutriti, aut mœrore diuturno vel veneris excessu confecti sunt, aut intentis meditationibus adsueti, damnum inde acciperent.

Depletionibus factis ad stimulantia et incidentia confugere licet.

A levioribus ut spiritu Mindereri, leniori camphoræ dosi incipiendum est; si vero pulsus fiat debilis, facies pallida, ad fortiora, ut spiritum cornu cervi succinatum, saponem Starckeianum, pilulas ex enulæ extracto, myrrhæ, galba-

no et aloë, vel infusum ex ruta, rore marino cum helleboro confugere licet.

Ubi ulcera diuturniora citius consolidata aut herpetes sanati fuerunt, ad fonticulos, aut setacea recurrendum est.

Quandoque apoplexiæ tussis accedit, cum sibilo et difficili materiæ crassæ ac pituitosæ excretione, suffocationem minitante, tum vero incidentibus, et expectorantibus opus est, ut Kermes minerali, mixtura ex gummi ammoniaco, extracto enulæ et oxymelle scillitico, sed sæpe malum, quod paralysi nervorum in pectore ortum debet, non levatur.

Haud assentior Cl. Sauvages, apoplexiam ex arthritide ortam, eodem, quo sanguineam, modo tractandam esse. Inflammatoriæ enim naturæ morbus venæ sectionibus leniter revellentibus, enematis antiphlogisticis, sinapismis quidem etc. impugnandus est; si vero languida humorum circulatio, pallida facias, pulsusque mollior, tum vesicantia partibus adfectis adplicata, camphora, moschus, enula, sulphur antimonium opem ferunt.

Qui apoplectici fuere, evitent frigus præcipue, si inde stupor capitis, palpitatio cordis observetur; ex subitanea pedum refrigeratione apoplexiam ortam fuisse constat.

Hinc glabrionibus capillitium portandum est.

Est et febris apoplectica. Vetustissimi Me-

dici Diocles et Asclepiades febrium periodicarum cum accessibus lethargicis meminerunt.

De his in tractatu de febribus egi.

Nonnunquam veræ apoplexiæ jungitur febris biliosa remittens. In similibus ut plurimum contra diætæ regulas antea peccatum est. Aegri sub initium paroxysmi vomunt, certis temporibus levantur, nunquam tamen ad se redeunt (unde hæc a simplici febri apoplectica distinguitur) urinam siqua colligi potest, jumentosam mittunt, dum exacerbatione redeunte in pejus ruunt; plerumque oscitant, pulsus est celerior; quandoque inæqualis, aut intermittens, qui accessu finito magis naturalis evadit. Hic clysmata antiphlogistica injicienda sunt et alvus mixtura salina egregie ducenda; tum brevi intervallo ad corticem peruvianum confugiendum, isque per os et anum, cum æger remissius habet, ingerendus, non intermissis vesicantibus, moscho aut camphora, dum pulsus debilis, aut inæqualis tangitur.

Convalescentibus ex apoplexia ægris cavenda est alvi obstructio; nam multi in sella pertusa, dum nimiopere niterentur, apoplexia exstincti sunt.

In sanguineis vitanda quævis major seu animi, seu corporis commotio, cumprimis ira.

Major collaris constrictio periculosa est.

Senibus debilioribus venus interdicenda est,

hos inde ob virium vitalium defectum inopinate periisse constat.

Aquæ minerales, apoplexia levatis, vix concedendæ, etsi antea iis usi fuerint, cum teste Willisio eæ largius haustæ nec per urinas satis ejectæ lethargum inducant.

Bergius potum coffe apoplecticis et lethargicis noxium esse declarat, idem tamen a) asserit, vim quamdam coffe inesse excitantem, quod apud Arabes quosdam evidentissime compertum fuit, qui, cum opio abusi sunt, potu coffe iterum eriguntur.

Tabaci usus apoplecticis minus conducit; sed si post largiorem usum ab eo repente abstinentes temulenti evadant, redire ad consuetudinem debent, eoque moderate uti, si vero post moderatum tabaci usum vertigo abservetur, abstinere oportet.

Constat apoplexiam sæpe in hemiplegiam aut paralysin desinere; remedia cum calida, tum stimulantia, quæ nullo discrimine a multis propinantur, sanguineis nocent, rectissimeque Trallianus ait: calidioribus, ac siccioribus curandis refrigerantia et humectantia convenire.

Hinc ea in memoriam revocanda sunt quæ superius de diversa calidæ et frigidæ apoplexiæ curatione præcepi.

---

a Pag. 113. Mat. med.

Nec senibus paralyticis purgantia aut clysmata acriora, nec siccis, atque exhaustis sudorifera conveniunt.

In paralysi oris quandoque sequitur ptyalismus corpus exhauriens, tunc collutorium ex decocto tormentillæ, addita ruta, rosmarino et liquore anodyno indicatur.

A sectione raninarum quandoque loquendi potentia redit.

In paralysi post apoplexiam serosam tentare licet electrisationem; sed qui ex apoplexia sanguinea hemiplectici evasere, iis electrisatio perniciosa est, namque et pulsum celeriorem reddit, et hæmorrhagias movet, et humores majore impetu versus caput agit.

De Haen exemplum adfert paralytici inter electricos ictus apoplexia correpti, et quarta post hora exstincti.

Majori circumspectione eget præcociter nimis laudatus galvanismus; in plurimis surdo mutis apud nos tentatus fuit, nullus ex his minimum levamen sensit, multi inde lædebantur.

Neque balnea sulphurea ejusmodi ægris prosunt; quæ tamen in frigidioribus juvandis magnam vim habent.

Quare Mead minus recte asserit, immersiones calidas omnibus omnino paralyticis obesse, quin imo diuturnus eorum usus quandoque neces-

sarius est. Nec bene Duretus pronuntiavit, paralyticos, nisi brevi sanentur, balneis sulphureis insanabiles reddi. Si vero inter balnei usum vertigo, temulentia, aut tensio capitis major percipiatur, vel vires deficiant, aut somnus arceatur, cibive appetentia langueat, ab ulteriore usu cessandum est.

Malo prorsus consilio debilioribus, antequam balneo uti cœperint, vena tunditur, aut purgantia exhibentur, nisi certa plethoræ aut saburræ in primis viis latentis signa deprehendantur.

Sæpe vesicantia prosunt paralyticis, illi spinæ dorsi loco apposita, unde nervi ad partem adfectam egrediuntur.

In frigida paralysi linguæ collutoria ex radice pyrethri cum sale ammoniaco, vel pastilli masticatorii ex radice imperatoriæ, aliisque acrioribus tentari possunt.

℞. Pulv. rad. pyrethr. dr. jβ.
Sal. ammon. dr. jj.
Aqu. salv. lb. β.
Spirit. cochlear. dr. vj.
Mista stent per noctem, mane cola, et adde
Mell. unc. β.
Exhibe

℞. Rad. imparator. dr. jjj.
Semin. sinap. dr. j.

Pulverata excipe melle rosato, ut fiat massa solidior, ex qua formentur pastilli rite exsiccandi.

Sequentes pilulas nonnunquam cum emolumento exhibui.

℞. Extr. amaricantis.
— enulæ.
— arnicæ aa dr. j.
Gumm. galban.
Rad. valerian aa dr. jβ.
F. l. art. pil. gran. jjj. consperg. pulv. liquiritiæ.
Sumat bis — ter de die Nro. quinque.

Alvo duriore quidquam extract. aloës addidi.

In paralysi ex herpete cito fugato, gummi quajaci, antimonium, flores sulphuris, decoctum ex radice bardanæ, stipitum dulcamaræ, radicis enulæ, balnea sulphurea indicantur.

Ex achoribus per medicamenta repulsis, nonnisi achoribus redeuntibus sanantur.

Egregiam in paralysi curanda vim habent: herba anthos, et arnica, jam a Junkero in hoc morbo laudata, cujus flores efficaciores herba deprehunduntur.

Sed ubi in paralysi vasa encephali nimium impleta sunt, arnica lædit.

Evers in hemiplegia serosa belladonnam cum successu adhibuit, et quandoque a x granis ad xx ascendit. Mirabar equidem, rem ei semper e sen-

tentia cessisse, cum sciam, magna in præbendo hoc remedio circumspectione opus esse, propterea quod sæpius ab ejus usu mentis obtenebratio, et balbuties linguæ enata sit.

In apoplexia et paralysi frigida Kermes minerale, camphora sæpe cum successu præscribitur.

Frigidis, qui pastaceo sunt habitu quandoque sequens pulvis, præter alia remedia profuit.

℞. Colocynth. gr. jjj.
Sachar. dr. vj.
F. Pulv. divide in octo doses.

Sumat tertia, aut quarta quavis hora ejusmodi pulverem.

Hisce ægris et fonticuli et setacea conducunt.

Contra lanquorem ventriculi frigida paralysi adfectorum proficuum est infusum raphani rusticani.

In magna debilitate potens roborans est tinctura tonica Bestuscheff, methodo a Cel. Klaproth emendata a gutis 10 ad 20 propinata.

Quandoque apoplexia sanata memoriæ debilitas superest, nulla anamnestica remedia habentur, sed emendatio tempori et naturæ relinquenda.

Caput XXV.

De Epilepsia.

Viris, quam fœminis familiarior hic morbus est, junioribus item præ adultis infestus.

Quin et hæreditarius nonnunquam ab avo ad nepotem transit, silens in filio.

Multiplices sunt epilepsiæ causæ: vermes, terror, nimia nervorum irritabilitas, exostoses, caries ossium cranii etc.

De Meza a) epilepsiæ a saturatissimo decocto Caffee meminit, quæ intermisso hoc potu cessavit, et eo denuo sumto rediit. Nunquam id nec a me, nec ab aliis observatum fuit; si ex idiosyncrasia inde nervosi motus excitarentur, abstinendum foret.

Duæ fœminæ sub insultu epileptico ad nosocomium deportabantur, quæ omnibus frustra adhibitis in paroxysmo periere, una harum to-

a) Acta Lipsiensia. Vol. 21. Part. II. pag. 245.

phum, altera exostosim in cranio ex lue venerea neglecta exhibuit.

Fœminam triginta aliquot annorum nunquam malo celtico, aut aliis morbis affecta per multos annos de cephalalgia perpetua remediis resistente conquerebatur; demum in occipite tumor adparuit, quem dexter chirurgus pro fluctuatione censens caute aperuit, sed per vulnus portio cerebelli transiit, post mortem tota calvaria cariosa reperiebatur, et cranium digito violentius admoto facile perforabatur.

Morgagnius quandoque insolitam cerebri duritiem in epilepticis observavit.

Cullen turgescentiam vasorum sanguineorum in cerebro inter frequentes epilepsiæ causas merito numerat.

Sæpe in cadaveribus eorum, qui epilepsia decessere, nihil detectum fuit, quod culpari possit.

Ob singularitatem sequentem casum recenseo: Ill. van Swieten mulierem notat quæ cum marem utero gereret, epilepticis insultibus vexabatur: minime vero dum fœminam gestaret.

Inde patet quam vana sit specificorum deprædicatio, cum causa mali sæpe incognita sit, neque cognita semper tolli possit.

Puella novem annorum absque omni causa repente perfecta lateris dextri paralysi corripiebatur, sinistrum tam valide convellebatur ut æ-

gra a binis adstantibus vix retineri potuerit, urina cum fæcibus prorumpebat, pulsus erat intermittens, vacillans, respiratio sterterosa, spuma oris, mucus ex ano et pudendis leviter sanguine tinctus prodibat; fortuito in vicinia remorans vocatus ob symptomata gravissima, præcipue respirationem sæpius interceptam fatum instare timui, et a mixtura ex spiritu cornu cervi succinato, camphora, tinctura castorei, inunctionibus lateris paralytici cum tinctura cantharidum nihil sperabam, bihorio elapso mitigabantur motus convulsivi, calor in latere paralytico redibat, post decem horas evanescebant convulsiones remanente per longum tempus hebetudine, ingenti debilitate, leviore paralysi, demum cortice, valeriana, floribus arnicæ, asa fœtida, moderata camphoræ dosi contra meam spem plenarie convaluit, et per quatuordecim annos binarum prolium mater absque ullo incommodo vivit.

Epilepsia, quæ absque signo præmonente ingruit, fere incurabilis est.

Pallidioris habitus facilius ac athletici curantur.

Comitialis morbus solet quidem etiam longus esse usque ad mortis diem, et vitæ non periculosus, interdum tamen, cum recens est, hominem consumit, observante Celso.

Morbus hic, ut apud quosdam auctores le-

gitur, quartana interdum, hæmorrhoidibus, diarrhœa, ulceribus, mutatione denique cœli sublatus est: at mihi hujusmodi felices eventus nondum observare contigit.

Quandoque in puellis circa pubertatis tempus solvitur, sed hoc in plethoricis solum accidere potuit.

Raro paroxysmo sæviente pereunt epileptici, sæpius apoplexia enecantur. Hinc si oculi rubeant, major calor, et tensivus capitis dolor animadvertitur, vena secanda est, præcipue si in fœminis fluxus menstruus suppressus sit.

Inter paroxysmum ægros liberiore in aëre et capite elevato collocare oportet, cavereque ne lapsu aut morsu lædantur.

Laudabilis mos est in Russia testante Weickard panno tegere epilepticos, qui in plateis concidunt, cum prætereuntes sensibilioris nervosi systematis inde lædi possint.

Acriora non sunt eorum naribus admovenda, ne sternutatione excitata rumpantur vasa encephali sanguine distenta.

Opium a veterano Practico in ipso epilepsiæ æstu propinatum non modo nihil levamenti adtulit, sed soporem apoplecticum me spectante, induxit.

Extra paroxysmum cavendum ab omnibus,

quibus eum accelerari compertum est; præcipue a venere, in quam proniores sunt epileptici.

Quandoque in externis corporis partibus paroxysmi orientis vestigia adparent. Tum eæ fascia tortili ligari, aut cauteriis, vesicantibus, opiatis urgeri poterunt, quamquam hæc omnia incassum tentata vidi.

Infantes nonnulli epilepsia propterea corripiuntur, quod manantia capitis ulcera arte siccata fuere. Hinc recte Dolæus et Kleinius animadvertunt, achores, et tineas saluti pueris esse, cum gravioribus eos malis liberent; neque facile epilepsia laborare eos, quibus scabiosæ in capite crustæ nascuntur.

Hæc cum fiunt flores sulphuris, spiritum fuliginis, æthiopem antimonialem, decoctum antimonii cum sarsaparilla interpositis purgantibus tentare licuerit.

In malo recenti emplastrum meliloti cum quarta parte vesicatorii capiti adplicitum profuit.

Ex obstructione viscerum et dispositione atrabiliaria epilepsiam oriri Hippocrates observavit.

Lætus recordor viri virtute et gloria, et rebus gestis amplissimi, qui ab infantia frequentissime levioribus, aliquoties autem adeo gravibus paroxysmis corripiebatur, ut infaustum exitum instare timuerim, huic æther vitrioli, cam-

phora, moschus et alia nervina magna dosi propinabantur, et cum hydropota fuerit, largior vini usus commendabatur, sed inde nullum levamen expertus est æger, imo ab his magis lædi videbatur. Vocatus pilulas ex valeriana, gummi galbano, moschum, lenia martialia (quibus jam antea usus fuit) ordinavi; cum nec ab his effectum viderim ob flavescentem habitum, turgidulum nonnunquam abdomen, alvum tardam, succum ex taraxaco, lenia alvum moventia, remotis omnibus nervinis proposui, hisce rara felicitate optinuimus, ut, quamquam injuriis aëris expositus, animi commotiones passus octo fere annis, nec minimo nervoso symptomate affectus sit.

Quandoque in epilepsia defunctis calculi fellei, aut copiosior amurcosa bilis detegitur.

Si extra paroxysmum in ægris flavescens corporis habitus, abdomen turgidulum, alvus tarda observetur, lenia evacuantia sæpe accessus aut mitiores, aut rarius recurrentes reddunt.

His succi expressi herbarum solventium, decoctum saponariæ, taraxaci addito helleboro nigro; debilioribus pilulæ tonicæ Bacheri conducere possunt. Prosper Alpinus auctor est, sacerdotes quosdam helleboro sub specie olei sancti cum fructu usos esse ad morbos, qui pro dæmoniacis haberi solent abigendos, inter quos epilepsia numeranda est. Attendendum ne pro radice helle-

bori nigri radix adonidis vernalis Lin. substituatur.

Epileptici, nisi vires, aut per prægressam onaniam, aut per constitutionem corporis nimium debilitatæ sint, lenibus eccoproticis potissimum solantur.

Convulsiones infantum sub alvo molliori mitiores observantur.

Diversa epilepsiæ remedia a diversis laudantur; veluti phosphorus, viscum quercinum, folia aurantiorum, hyosciamus, stramonium, belladonna, sulphur venereum.

Lapis diphris a Plinio laudabatur.

Phosphorus a grano uno ad tria, ter, quaterve per diem quodam solutus liquido, vel cum conserva datur, dum circulatio augenda est. Verum anceps remedium esse, et circumspectione egere observatis Ill. Prera a), Weikard et Wurzer b) constat. Generaliter omnia stimulantia sanguineis epilepticis nocua deprehenduntur.

Primarius Medicus in nosocomio FF. misericordiæ Mediolani alcohol phosphoratum in hemiplegia asthenica cum successu adhibuit.

Triginta guttas in tribus unciis aquæ destill.

---

a) Reflexioni medico practiche sul uso interno del fosforo.

b) Grundriß der Arzneymittellehre für Aerzte und Wundärzte.

ntra 24 horas exhibuit. In nonnullis ad 80 et ultra ascendit, porrigendo omni bihorio.

Inventor hujus remedii Cl. Brugnatelli monet phosphorum in substantia datum effectus perniciosos edidisse.

℞. Phosphor. gr. vjjj.
Impone mortario vitreo, dein adde
Alcohol. unc. j.

Contunde cum pistillo in frustula minuta, continue agitando, donec suum odorem perdiderit. Facta hac prima operatione, quædam partes phosphori remanent indissolutæ; hinc eam renovare oportebit semper terendo, donec omnes partes phosphori penitus solutæ fuerint. Tunc hac servetur in vitro bene clauso.

Viscum quercinum, cujus vis, atque efficacia in cortice maxime residere creditur, vel in infuso vel in pulvere ad jj. vel drachm. j. omni sexta hora propinatum aliquoties profuit, oportet autem ut lente exsiccetur; a me incassum propinabatur.

Cl. Saxtorph qui olim Viennæ degens longo tempore ordinationibus meis practicis interfuit, exemplum refert, epilepsiæ saccharo saturni curatæ. Propinavit quartam grani partem cum scrupulo uno conchæ præparatæ tribus per nychthemerum dosibus, dein sexies ad granum semis ascendit, recidivam eadem methodo sustulit.

Non ignoro saccharum Saturni ab Hundertmarkt et aliis interne exhibitum fuisse, sed cum noverim usui hujus remedii sæpius sinistros effectus successisse, id exhibere verebar.

Ante complures annos pulvis quidam ex Hollandia ut specificum antiepilepticum Viennam allatus est, qui e foliis aurantiorum pulverisatis constare videbatur. Eo remedio ægrum gravissimis paroxysmis, sæpiusque per diem redeuntibus affectum sanavi. Decoctum Nro. 1. vel pulverem nostratum aurantiorum ad drachmam semis sæpe per diem, sed incassum præbui; etsi quandoque symptomata e majori nervorum irritabilitate profecta mitigata viderim.

Cullen nihil a bile tauri inspissata emolumenti sperat; tametsi nonnullos epilepticos habitus pallescentis, ac tumiduli nulla morbi causa cognita hujus remedii ope per longum tempus continuati penitus sanavi.

Idem vir Celeberrimus a) ait, spem esse, fore, ut arsenicum forte prodesse possit, cum in febribus intermittentibus non sine fructu adhibeatur, sed in tractatu de febribus monui remedium hoc infidum esse et virtutem ejus salutarem longiori adhuc experientia egere.

---

a) Tom. III. pag. 85.

Nec hyosciami, neque stramonii extracto epilepticum curatum vidi, illud interne tuto adhiberi posse negat Cl. Greding a), hoc parva et repetita dosi sumtum quandoque epilepsiam tollit quidem, uti videtur, sed specie mitigationis revera fallit, et rem in perniciem vertit.

Belladonna teste auctore supra laudato neminem quidem epilepsiæ eripuit, aberrationem tamen mentis imminuendo levamen attulit.

Sulphur venereum seu parva, seu auctiori dosi exhibitum, neque ad fugandam, neque ad sublevandam epilepsiam quidquam valere, usu didici, imo cum Cel. Baldinger medicamenta e cupro parata vix administranda censeo.

Cum tamen nonnunquam profuisse legatur, in morbo remediis omnibus resistente id tentare licebit.

Moscho mentis stupor et alienatio post paroxysmum persæpe diutius remanens citius tolluntur faciliusque ad se redeunt ægri.

Quidam a floribus zinci felices eventus referunt. Gaubius granum unum omni bihorio exhibuit, sed cum Cl. Caldani b) contrarium expertus sum. Hystericæ fœminæ a tertia parte gra-

---

a) Ludwig adversar. med. pract. Tom. I. Part. II. p. 347.

b) Tratato di materia medica dal Prof. Angelo Delladecima Tom. IV. pag. 226.

ni florum Zinci anxietatem, vomitum, deliquia, ptyalismum, cardialgiam passæ sunt a).

Flores Zinci tantum credulitati quorundam laudes suas debere cum Cl. Berlinchieri existimo.

Oleum animale Dippelii ab aliis laudatum, a Springsfeld pro inefficaci declaratum non majorum quidem virium est, ac reliqua volatilia empyreumatica; in malo tamen recenti, eoque a menstruis vel non prodeuntibus vel suppressis orto bis, ter per diem ad decem et viginti guttas propinatum profuit.

Præstantissimum longe remedium, cujus ope plures epilepticos sanavi, radix est valerianæ sylvestris ad drachm. j—jj per diem longiori tempore exhibita. Forte sæpius epilepticis nullam opem adtulit propterea, quod ii vel in victu, vel aliis in rebus delinquant.

Præferenda est substantia extracto, aut decocto: radix vero legenda antequam folia erumpant.

Duos infantes pharmaca respuentes epilepsia liberavi, nutricibus eorum radicem largiter præbendo.

Nunquam ex interno valerianæ usu febrim urticatam exstitisse memini, ut in transactionibus Anglicanis refertur.

---

a) Journal de med. chirurg. pharmac. Tom. 66.

Sæpius solam, quandoque aliis pharmacis mistam propinavi. Ubi vermium suspicio erat latentium, anthelmintica: ubi bilis iners, aut abdomen tumidum, fel taurinum inspissatum: ubi nervi faciles irritatu, castoreum, asam fœtidam, aut moschum, si odorem ægri ferebant: in nimia debilitate martialia addidi.

Aegris, qui herpete, arthriticis affectibus laborarunt præter medicamenta ex floribus sulphuris, antimonio, gummi guajaci, decoctum sarsaparillæ, cortex mezerei, fonticuli profuerunt.

Ubi corpus spissioribus humoribus abundat, egregium tinctura martis helleborata usum habet a guttis xx — L de die propinata.

℞. Tinct. mart. unc. jj.
Extr. hellebor. nigri drachm. j.
Sumat bis, ter de die guttas xx vel

℞. Extract. amaricant.
— mart.
Gumm. ammoniac. aa drachm. j.
Asæ fœtid.
Extr. hellebor. nigr. aa drachm. β.
F. pilul. gran jjj. consperge pulv. liquir.
Sumat bis, ter de die Nro. vj.

Alvo difficiliore, quidquam extracti aloës aquosi admiscendum est.

Epilepsiam a vermibus fieri suadent: pruritus narium, abdomen tumidulum, dolores colici,

torminu sæpius redeuntia, paroxysmus ante pastum potissimum ingruens.

Cum alio loco de morbis a vermibus agere animus sit, sufficiat hic notare, quod debiliori, aut facile irritabili ægro vermibus laboranti mercurialia propinanda non videantur, præcipue cum Cl. Scopoli referat, nusquam frequentiores intestinorum lumbricos deprehendi, quam iis in locis, ubi argentum vivum e terra effoditur hominesque aërem hauriunt mercurio inguinatum, qui igne redditus volatilis male persæpe eosdem afficit.

Semen sabadillæ, quod sæpius exhibui, ægros torquet ac vomitiones ciet, et cum vermes excernuntur id potius virtuti purganti tribuendum videtur.

Radix filicis a Boeklero contra tenias latas sine purgantibus non magnarum virium anthelminticarum esse expertus sum.

Gëoffroyam Surinamensem tentandi nondum occasionem habui.

Spigeliam anthelmiam nondum adeptus sum, qua Cel. Bergius a) violentas convulsiones curavit, etsi nulli vermes in conspectum venerit.

In doloribus tantum non convulsivis, qui a vermibus creantur, mitigandis cataplasma e farina, felle taurino, summitatibus absynthii et oleo idoneum fuit.

---

a) Tom. I. pag. 95.

In horrendis symptomatibus quandoque a vermibus excitatis cucurbitæ siccæ ad regionem epigastricam, vel hypochondria applicatæ præstantissimam opem tulerunt.

Epilepsia certo tempore recurrens corticem cum valeriana poscit.

Cum hystericæ epilepticis insultibus vexantur, quandoque valeriana cum gummiferulaceis, asa foëtida adjumento est.

In mobilioribus tamen ubi cephalalgia, æstus corporis major, indeque existens vertigo animadvertitur, nervina remedia et calidiora detrimenti plus, quam emolumenti habent.

Noveram ante complures annos puellam perquam facilem irritatu, quæ cum vehementioribus animi motibus concitaretur, non raro inde epilepsia corripiebatur. Forte fortuna sub idem plane tempus, quo imminentis paroxysmi signa jam adparebant, concentus musicos, quibus mirifice alias delectabatur, audierat; neque tum paroxysmi vim ullam aut accessionem sensit, itaque quoties deinceps epilepsiæ redeuntis metus ingruebat, harmonici concentus in usum felici eventu vocabantur, donec firmato aptis remediis corpore, ægra penitus malo liberaretur.

Quantum ad spirituum motum compescendum, refringendumque musica valeat, id quotidiana nos experientia docet; nam et parvuli ejulantes can-

tibus placantur, et languentes excitantur variis vocum, aut fidium sonis. Quæ forte causa fuit instituendæ musicæ militaris, neque enim priscos, aut instrumentorum musicorum, aut cantus etiam vim, atque efficaciam ignorasse putandum est, uti Ill. van Swieten observat; quin et morborum incantamenta inde originem traxisse propius ad verum accedit. His quoque non Homerus solum, sed ipsæ etiam sacræ paginæ consentiunt; atque Divinus Plato ait: musicam non idcirco a diis concessam hominibus esse, ut aures demulcerentur, sed ut animi perturbationes hujusce voluptatis lenocinio sedentur atque in ordinem redigantur.

In epilepsia recenti, nec admodum gravi, quæ a præcedente onania sequebatur, cum mucosus humor e genitalibus copiosius defluens corpus indies labefactaret, magnam sequentes pilulæ opem tulerunt.

℞. Rad. valerian. unc. ß.
Limat. mart. non rubig. drach. jß.
Myrrh.
Oliban.
Extr. tormentill. aa drach. j
F. pilul. gran. jjj

Sumat ter per diem vjj—x et amplius, non intermissis spirituosis et aromaticis spinæ dorsi frictionibus.

Epileptici duo fuerant, quibus remedia omnia hic commendata incassum adhibui, pulvisculis ab agyrta propinatis integre sanati; vidi autem alios, qui iisdem pulveribus nullo prorsus emolumento usi sunt.

Electricitas epilepticis adplicata hucusque in nosocomio non profuit.

Inustio calvariæ candenti ferro facta periculosissima habenda, imo lethalem eam de Haen expertus est.

In desperatis rebus imitandi, sed cauta manu forte essent Nigritæ, qui totam suturam coronalem longa et ampla stupa instar moxæ, nec sine maximo emolumento adurunt a).

Etsi cum Cl. Lory nervorum morbos, hodie frequentiores quotidiano tabaci naribus attracti usui adscribere nolim, eum tamen epilepticis interdicendum puto, quum ex ejus abusu et morbum et furorem augeri Cl. Greding observaverit.

Quod ad pharmaca supra laudata attinet, nulla de iis propinandis certa lex, aut norma statui potest, cum modo hæc, modo illa profuerint.

Infantes ab acido primarum viarum non raro epilepsia laborant, eorum nutricibus victus animalis, infusum menthæ commendandum est.

---

a) Kaempherus amoenit. exot. pag. 195.

Sola absorbentia raro sufficiunt, sed alvo lenta magnesia cum pauco sale tartari et saccharo, vel sequens mixtura exhibenda est:

℞. Lapid. cancr. drachm. jß.
Sal. tartar. gran. vj.
Vel urgentiore malo spiritus cornu.
cervi guttas vj.
Aqu. meliss. unc. jj.
Elæosacchari aurant. drachm. ß.

Quandoque ubi valde ejulant infantes sequens remedium tentare licuerit.

℞. Olei amygdal. recent. press. unc. ß.
Syrup. alth. drachm. v.
Vitell. ovi q. s. diu subactis.
adde
Salis tartar. grana jv.
Tinctur. anodyn. gutt. jjj.
Aqu. meliss. unc. jß.

Nocuo præjudicio epilepticis indiscriminatim remedia roborantia, excitantia propinantur; sensibiliores a moscho, camphora, æthere vitrioli et aliis nervinis sæpe in deterius ruunt, imo in sanguineis, et illis qui sub paroxysmo lividum faciei colorem habent citius apoplecticus insultus sequi posset.

Lenia solventia, alvum mollem servantia, revellentia hisce conducunt. Longingua experientia hoc confirmat. Cullen diætam tenuem

magis quam remedia contra epilepsiam laudata profuisse vidit.

Celebrantur quoque balnea frigida, utpote roborando corpori perquam idonea, sed et hic quoque judicio est opus.

Ex balneo frigido valde irritabiles præcipue solito plus æstuantes apoplexia perierunt.

A balneis frigidis paroxysmum epilepticum exasperatum fuisse legimus a).

Universim balnea frigida, quæ nimium forte antea negligebantur, nimiis nunc encomiis in cœlum tolluntur. Cum quid prospere iis effectum est, omnium id sermone ac laudibus celebratur; at si perperam res accidit, si incommoda inde graviora, eventusque sinistri consecuti sunt, altum tacetur.

Tobias Matthæus Anglus ante Floyerum balnei frigidi usum Antwerpiæ stabilire adlaboraverat; sed paulo post ejus consilia respui cœpere, ob enata inde detrimenta b). Recte igitur Ill. van Swieten asserit, martialia, et omnis generis roborantia balneis esse securiora, cum hæc externas tantum partes adficiant, nec longo admodum tempore agant.

---

a) Tode, mediz. chirurg. Bibliot. 1. Band. pag. 117.
b) Tralles de tuenda pag. 232.

Caput XXVI.

De Hydrophobia.

Rabici caninæ nec naturam, nec sedem adhucdum determinare licuit.

Bœrhaavius in rabie canina mortui cadavere organa deglutitionis utcunque inflammata, pericardium siccum, pulmones et cor cruore plenos. venas vacuas, sanguinem vix concrescentem reperiit.

Parisini a) ventriculum et intestina inflammata inveniebant.

Sauvages, Bonet concretum sanguinem omni propemodum sero fluido destitutum deprehendit.

Van Swieten cadavera hydrophoborum media hyeme intra quindecim horarum spatium pessime putrefacta fuisse refert.

a) Academ. des sciences 1699.

In nosocomio universali nec hanc in putredinem proclivitatem, nec siccitatem aut inflammationem viscerum observavimus, organa deglutitionis et respirationis sine rubedine aut tumore apparuerunt, sanguis cordis et vasorum majorum magis fluidus erat.

Dolendum quod inter tot laudata remedia nullum adhuc penitus comprobatum sit.

Moschus, mercurius, belladonna, meloë scarabæus a multis ut specifica laudata voto non responderunt.

Avicenna cantharides profuisse testatur. Idem in Hungaria successisse ex actis nat. curios. constat.

In aliquibus ubi dolores in parte demorsa cum magna ægri inquietudine et febre ingruebant, grano uno cantharidum ter intra 24 horas exhibito symptomata disparebant, nullo subsequente malo, sed ubi jam potulenta fugiebant, rabies non prævertebatur.

Applicatio lapidis caustici ad partem affectam profuisse videbatur.

De quibusdam casibus nihil certi determinare licet, sæpe canis pro rabioso habitus reipsa non erat. Ego cum nosocomii director constitutus essem, cistam clathris ferreis munitam faciendam curavi, qua canes, si fieri posset, comprehensi clauderentur, ut status eorum certo defi-

niri posset; verum hæc præscriptio intra plus quam viginti annos semel tantum exequebatur.

Ab animali rabido morderi aliquis potest, quin rabie corripiatur, dum venenum a sanguine prorumpente statim abluitur.

Nonnulli natura sua veneni hujus aut omnino, aut saltem eo tempore, quo mordentur suscipiendi non dispositi esse possunt, cujusmodi in venereis accidisse observatum est, cum plures etiam fuere, qui per omnem vitam a variolis essent liberi, aut inter variolas laborantes versati non illo quidem tempore, sed aliquot demum annis post morbo hoc corripiebantur.

Adolescens a cane rabido morsus omnibus tentatis hydrophobia periit, soror ejus eodem momento morsa immunis vixit.

Hydrophobiam post multos annos demum erupisse testatur Boërhaavius, sed quos videram pauco post morsum tempore hydrophobia affectos novi.

Ante sex annos a viro fide dignissimo mihi relatum fuit, mulierem ante quindecim annos demorsam recte valuisse, nunc vero hydrophobia periise.

Ustio, scarificatio, submersio magnopere laudabantur; hæc quidem tentanda sunt, sed incassum sæpius fuisse experientia docet.

Lotionem cum aqua et sapone, cucurbitas,

sanguine per vulnus non amplius fluente juvasse legitur.

In pago Moelendorf eo ipso tempore, quo aliquis a cane rabido mordebatur, ferrum candens igni impositum erat, quo mox vulneratus inurebatur, alius aquis ad animi deliquium usque mergebatur, sed uterque hydrophobia periit.

Non omnes hydrophobi potum respuunt, puella in nosocomio binis ante mortem horis potum coffeæ cum exigua difficultate deglutiebat.

Ante complures annos in quodam Hungariæ loco incolas attonitos vidi, de hujus causa interrogati respondebant, undecim suorum a lupo morsos fuisse., lupus eos persequebatur, et mulierem jam jam in arborem ascendentem morsisse, a penultimo belluam compressa fauce pene strangulatam fuisse, ut demissa præda ad aquam, quæ prope erat, proreperet, ibique tandem interficeretur. Pagi incolas bono animo esse jubebam propterea, quod rabiosa animalia neminem persequantur, sed obvium læderent, et aquam anxie fugerent; verum spe fallebar, nam novem vulneratorum peribant, duo, quorum unus undecim vulnera acceperat, servabantur.

Salivam rabidi canis cuti illinitam malum non produxisse ex actis reg. soc. med. Havniensis constat. Cl Stark testatur virum, qui mitram et collare filii hydrophobia affecti portaverat in-

sultus hydrophobicos passum fuisse, a quibus tamen liberatus erat.

Carnes rabie necatorum animalium et pelles nihil nocuisse refertur; verum tamen in hoc horrendo morbo non nimis provide, cauteque agi posse existimo.

Caput XXVII.

De Tussi.

Multiplex est natura tussium ac pro earum diversitate curatio multiplex.

Convulsiva ut plurimum infantes aggreditur, adultis minus infesta.

Sæpius epidemica est, nec caret suspicione infectionis.

Putat Lieutaud eam non solum a spasmodica contractione glottidis, sed etiam a repletione bronchiorum provenire, cum in cadaveribus bronchia muco viscidiore referta aërique prorsus impervia observaverit.

Quidam causam mali in ventriculo et intestinis quærunt.

Probabilius et in his et in pectore hæret; cum neque purgantibus solum, aut stomachicis, nec solis pectoralibus morbus depellatur.

Durat 7 — 14 hebdomades: morbus nonnunquam, sed mitior redit.

Diutius protractus hernias, gibbos et quandoque phthisin generat; nam tussis vehementia

expressus sanguis, et e naribus stillat, et e pulmonibus ejicitur.

Cum ad tussim convulsivam hæmorrhagia accedit, morbus plerumque levatur; ubi vero hæc abundantior, aut frequentior est, ægritudo diuturnior evadit, corpusque exhaurit.

Quo diutius respiratio quiescit, quo facies magis vel rubet, vel livet, eo pejus cum ægro agitur; tum vero pessime, cum sopor, et convulsio supervenit.

Pusillis vena vix secanda: majoribus natu tum solum, cum pulsus plenus, ac durus, pectorisque dolor, nonnunquam remittens, observabitur.

Vidi in nobilissima ægra vomicam a neglecta sanguinis detractione enatam.

Emetico haud opus est, cum nulla in primis viis saburra hæret, ob vomitum convulsivæ tussi frequenter junctum; namque hic potissimum e mechanica faucium irritatione nascitur.

Multo minus convenit ægris debilioribus, et iis, quibus livida est, aut rubicundior facies: quibus venæ tument, vel cor vehementius palpitat.

Si vero saburræ signa observentur, vomitorium exhibere licet.

In tussi convulsiva sporadica, vomitorium magis, quam in epidemica prodest.

Cl. Buchave per radicem atropæ belladonnæ nterposit o tertia, vel quarta die laxante tussim

convulsivam curavit, moscho et cicuta antea frustra in usum vocatis; alii illinitionem solutione tartari emetici ad regionem epigastricam plurimum laudant; ego ab hac methodo exhibita morbum nec citius, nec mitius decurrere observavi.

Nonnulli exanthemate urente corripiebantur, unus asciticus evasit.

Principio morbi noxia sunt opiata, præcipue cum viscida excreantur, etsi enim tussim ad tempus sedant, ea tamen mox redit acerbior, et suffocationem minatur.

Neque ab oleosis, aut dulcibus, quibus ventriculus læditur, curatio auspicanda est.

Rejiciendum sperma ceti, tussientibus olim familiare remedium, cum fere semper rancescat.

Felicissime curatio cessit, ubi mixtura salina cum manna repetitis vicibus in morbi exordio propinata fuit.

℞. Sal mirab. Glaub. drachm. jj—jv
Mann.
Syrup. althææ aa unc. j.
Aqu. fœnicul. unc. jv.

Sumat sæpius bina cochlearia.

Pro diversitate ætatis, aut temperiei dosis salium vel augenda, vel minuenda est.

Manna amica est pectori et alvum movet.

A quibusdam absente febri potus coffee cum manna commendatur; cavendum autem ne fabis

nimium tostis oleum in iis contentum empyreumaticum reddatur.

Corpore per aliquot dies leniter purgato, decoctum ex taraxaco, floribus verbasci, et liquiritia prodest, addito si alvus tardior persistat, sale medio.

Ubi post evacuantia tussis admodum sicca animadvertitur, pasta de althæa, tabulæ catarrhales D. V. gelatina liquiritiæ, oleosa conveniunt, ab ultimis tamen abstinendum, si sputa viscida et glutinosa excernuntur; tum enim unciam dimidiam aut drachmas sex oxymellis scillitici priori decocto addere oportet.

Similibus quoque convenit dulcamara, aut in decocto vel extracto: dulcamara recens in locis siccis, et montanis crescens, et illa, quæ verno tempore colligitur, multo efficacior est. Ejus usui nunquam aut delirium aut linguæ paralysim ut Linnæus et de Haen notant, succedere vidi.

Cum res magis urget sulphur auratum poscitur.

Egregiam in tussi convulsiva opem sequens pulvis præstitit.

℞. Flor. sulphur. dr. j
Gumm. arab. dr. jjß.
Extract. liquirit. dr. j
Sacchar. drachm. jj

Kerm. min. gran. jj—jv
F. Pulvis.

Sumat tertia, aut quarta quavis hora scrupulum unum aut drachmam semis, bibatque insuper infusum ex radice fœniculi, floribus verbasci et liquiritia.

Si sputo prodeunte tussis non minuatur, vesicantia, nisi valde tenelli, facilesque irritatu ægri sint, inter omoplatas feliciter admoventur; id quod Willisius in gravissima tussi quoque expertus est, quæ sputo crasso, et copioso exagerata nullis remediis cesserat.

Propinatur a quibusdam in tussi convulsiva tinctura cantharidum, sed hujus remedii usum quandoque periculosum esse experientia constat; forte notante Cl. Tode levamen inde secutum magis a cortice simul exhibito repetendum erat.

Ubi corpus quidem infirmum, ac imbecille est, at sputa facile succedunt, cortex peruvianus in decocto cum floribus verbasci et liquiritia plurimum utilitatis habet; namque et lapsas vires restaurat et mali reditum prohibet. Ut infantum nauseæ occurratur, aliquot fabæ coffee addi possunt.

Si sub corticis usum sputa difficilius egeruntur, bis, terve per diem pulvis supradictus e floribus sulphuris, extracto liquiritiæ etc. sumtus profuerit. At si respirationis difficultas, pe-

ctorisque oppressio augesceret, abstinendum a cortice foret.

Dum sputa purulenta ejiciuntur, decoctum corticis peruviani, modico lacte temperatum, præbere omnino opus est, neque lichen islandicus negligi debet.

Laudat Rosenstein muscum arboreum, ac præcipue illum, qui quercubus adnascitur, cum minus, quam cortex infantibus displiceat, jubetque drachmam ejus unam, in lacte sufficienti coctam mane ac vesperi bibi vel

℞. Lichen. plicat. Linn.
Sachar aa dr. jj.
F. Pulvis.

Sumat mane ac vesperi in lacte vel jusculo tantum, quantum cultelli apex capit.

Commendantur a Gaubio flores zinci, qui, etsi sæpius eos præbuissem, semel tantum prodesse videbantur.

Damnando prorsus consilio Sauvages duo, triave sacchari saturni grana suadet.

Ill. de Haen in tussi convulsiva sequens remedium auxilio fuisse testatur: xx aut xxv Helices pomat. Linn. contundebantur et per horam in pinta cerevisiæ, aut lactis coquebantur, tum colatura per duas, tresve hebdomades quotidie exhibebatur. In tussi ferina, aut cum acrimonia irritans demulcenda est, non incongrua hæc

medicina fuerit, ut gummi arabicum, tragacanthæ; ast in exordio morbi, vel ubi multa tenacia ejiciunt ægri, præcipue vero stomacho minus recte habente non conveniunt.

In tussi a dentitione moschum profuisse novi.

Curatione absoluta ægri leniter vel mixtura salina vel tinctura rhei aquosa purgandi sunt, quoniam sæpe sputa sua deglutiunt. Idem locum habet curationis tempore, si appetitus deficit, et pondus ad scrobiculum cordis sentitur.

Cum melius ægri valent, mutandum conclave est: sic namque et sanitas citius recuperatur, et morbus rarius revertitur.

Tussim, quæ in stomacho sedem habet, plerumque vitiata digestio antecedit, neque nausea abest; pondus item circa regionem ventriculi, tum sæpe vomitus, atque irritatio ad tussim, seu circa scrobiculum cordis sive circa sinistrum hypochondrium observantur. Accedunt quoque ructus, at nullus in pectore renisus animadvertitur: ducto profundius spiritu non læduntur ægri, neque tussis inde augetur, nisi pectus una affectum sit: plerumque excreando magis, quam tussiendo lentum gluten educitur.

Tussis stomachalis nonnunquam in pectoralem abit.

Quandoque sicca, aut humida, quandoque periodica, vel pectorali conjuncta est. Exaspe-

ratur pectoralibus, dulcibus, mucilaginosis, et oleosis. Digestiva et salia præmitti debent, post quæ aut vomitorium aut si contraindicetur, purgans ex rheo cum salibus porrigendum.

Glutinoso peccante, tartarus emeticus ipecacuanhæ ad vomitum excitandum anteponendus est.

Pro diversitate item temperamentorum varia requiruntur medicamenta. Siccioribus decocta ex taraxaco et cichoreo, addito, si alvus silet, sale medio; in iis, qui habitu sunt pastaceo magis pilulæ ex extractis amaris, gummiferulaceis, cum rheo conveniunt.

Redeunte appetitu, oppressione ad scrobiculum cordis cessante, fugataque tussi sæpe roborantibus opus est. Multis sequens remedium profuit.

℞. Elixir. stomach. temp.
Liquor. viscer. D. V. aa. drach. jj

Sumat bis de die guttas xxx—xl ex aqua.

Potus quidem gelidus in tussi stomachali commendandus non est, nimis tamen anxie Sauvages omnem potum frigidum damnavit.

Tusses senibus familiares sunt, propterea forte quod, ut Hippocrates notavit raucedines ac gravedines in valde senibus non concoquuntur. Si humida sit tussis, at recte ceteroquin valeant,

nihil mutandum, ne tussi suppressæ asthma, et alii morbi succedant.

Ceterum ad symptomata attendendum. Sanguineis venam aperire decet, ne inflammatio, aut apoplexia sequatur; non enim annis ætas, sed viribus æstimanda est. Imo ætate provecti, qui multum appetunt, neque corpus exercent, recte tamen ceterum valent, crebriores venæ sectiones et ferunt et postulant.

In tussi senum, ubi corpus stricti habitus et sputa crassa sunt, decoctum ex althæa cum larga dosi oxymellis scillitici prodest.

Nonnulli iterato siccissime tussiunt, donec crassa tandem et glutinosa sputa excernant; his sequens mixtura adjumento fuit.

℞. Oxymell. scill.
Olei amygdal. recent.
Syrup. alth. aa dr. x
Gumm. ammon. dr. j.
Vitell. ovi q. s.
Diu simul tritis adde
Aqu. commun. dest. unc. vj

Sumat tertia, aut quarta quavis hora unciam unam.

In tussi chronica cum sputis tenacibus sequens remedium profuit.

℞. Succ. armoraciæ libr. β.
Mellis libr. j.

Inspissentur leni igne ad justam consistentiam.

In sibilo et stertore cum glutinosis vix exscreandis sputis, pulveres cum kermes minerali vel mixtura ex gummi ammoniaco aut sequentes pilulæ indicantur.

℞. Flor. sulphur.
Extract. enul.
— liquirit. aa dr. j.
Gumm. ammon. dr. jj.
Rad. irid. florent. dr. β.

F. pilulæ gran. jjj. Iis sumtis bibatur infusum hyssopi et liquiritiæ aut stipitum dulcamaræ.

Attendendum, ne radix iridis nimis exsiccata, aut vermibus erosa sit.

Quandoque sine fructu ista tentantur, et respirationis difficultas eo usque ingravescit, ut suffocatio metuenda sit. Hoc rerum statu sequentes pulveres levamento senibus fuere:

℞. Sacchar. ℈β
Flor. sulphur.
Extract. liquirit. aa gran. jv.
Sulphur. aurat.
Extract. scill. aa gr. β—j.

Dosin prædictorum medicaminum definiunt vehementia tussis, respirationis difficultas et tenacitas sputorum.

Tussim senilem, sæpius quidem profligatam

sed denuo redeuntem, nonnunquam fonticuli levant.

Cum calor, et febris absunt, senibus asuetis vino interdicendum non est.

Ab œdemate pedum, medicamentis, fasciis, aut tibialibus coriaceis retroacto nonnunquam tussis nascitur, e qua timendum, ne hydrops pectoris consequatur. Tum vis externa comprimens illico avellenda, et ad extractum scillæ et infusa amara confugiendum est.

Tussis, quæ statis temporibus redit evacuato corpore, peruvianum corticem petit.

Eo, quo hæc scribebam tempore plures febre anomala affectos tractandos habui, qui sub accessibus vehementissima tussi sicca cum notabili pectoris oppressione laborabant, solventia, demulcentia, mellita incassum propinabantur, demum dato cortice tussis cum febre evanuit.

Lapicidæ, molitores, statuarii sæpius tussi corripiuntur, quam asthma aut phthisis excipit.

His talis situs suadendus, ut arenulæ, et lapilli a vento auferantur, eorumque inhalatio impediatur. Convenit præterea decoctum graminis multo melle saturatum, aut pilulæ e sapone, gummi ammoniaco et extracto liquiritiæ.

℞. Sapon. unc. jj

Extr. liquirit. dr. jj

Gumm. ammon. dr. j.

F. pilulæ gran. jjj

Sumat ter per diem vj—vjjj

Rejiciendum extractum liquiritiæ empyreumaticum, in lingua difficilius diffluens, feces relinguens.

Tussis rheumatica tempestate grassatur humida, simul ac frigida. Sub initio morbi horripilationes, dolores aliarum partium animadvertuntur, sub vesperam symptomata ingravescunt; pulsus utplurimum celer ac durus: tussis modo sicca, modo humida est: plerumque plures eodem tempore hoc morbo laborant.

Vena fere semper, ac pro ratione virium et symptomatum iterato secanda est.

Ubi pulsus initio morbi debilis est, aut venæ sectione facta concidit, camphora cum modico nitro, et infusum ex floribus sambuci, verbasci et liquiritiæ indicantur, queis nil proficientibus, vesicantia pedibus admoveantur.

Sputis prodeuntibus, prodest pulvis ex floribus sulphuris, gummi arabico, tragacantha et liquiritia; crassiora oxymel scilliticum, aut sulphur auratum postulant.

Tussim rheumaticam cum sputis tenacibus ipecacuanhæ granum semis bis, ter de die levat.

Eadem fere methŏdo tractari tussis catarrhalis debet, quæ non semper a suppressa transpiratione, sed a materia etiam heterogenea in at-

mosphæra latente oriri videtur, cum quandoque ardenti Sirio catarrhi grassentur, eosque etiam opprimant, qui calido conclavi perpetuo inclusi, nullis aëris mutationibus expositi sunt.

Anno 1782 catarrhus dictus russicus, flante Euro aquilone sub temperie constanter sicca per universam Europam grassabatur.

Multorum animis insedit præjudicata ea opinio calefactis maturius hypocaustis nasci catarrhos, qui potius hoc modo prohibentur, cum transpiratio æquabilior servetur.

Vitandæ fornaces ferreæ, quæ cum et celeriter incalescant, nec segnius frigeant, easdem injurias, quas subitæ aëris vicissitudines inferunt.

Præmissa venæ sectione, si ea necessaria sit, de Moneta in catarrho laudat, pedum in aquam frigidam immersionem, sequentemque pulverem:

℞. Nitr. crystall. unc. j.
Cremor. tartar. unc. β.
Sal. ammon. dr. jj.

Sumat quarta quavis hora dr. j. ex aqua frigida, si adultus sit; sed sanguineis, aut ubi major inter tussiendum dolor observatur, vix suadendum est, ut in frigidam pedes immergantur sed balnea pedum tepida addito pauco sale tutiora videntur.

Post tussim catarrhalem sub rudiore cœlo pectus lanea subucula muniendum est.

Nonnunquam in catarrho simplici sputa excernuntur fœtida, quæque, cum aquæ injiciuntur, fundum petunt. Tum decoctum corticis et lichen islandicus convenit.

Tussis catarrhalis sub atmosphæra humido frigida absente febre moderato usu Punsch mitigatur, et sæpe prævertitur.

Legi meretur Nicolai et Eberhardi de Rosen dissertatio de tussi ab Hallero a) edita.

In vehementi tussi ex scabie retropulsa præter balnea ad flores sulphuris, gummi arabicum, liquiritiam et pulverem Doweri recurrere oportet.

Quandoque in hemiplecticis a vitio nervorum pulmonum tussis occurrit cum stertore. His enula, oxymel scilliticum, flores benzoës, kermes minerale, gummi amoniacum, asa fœtida, camphora, et spiritus salis ammoniaci anisatus pro diversitate subjecti, et symptomatum propinanda sunt.

Quodsi stertor, aut sibilus perseveraret, posset prunis piper nigrum inspergi, ut torpentes pulmones inhalatis vaporibus ad fortiorem tussim excitentur.

Hypochondriacorum tussis his indiciis proditur. Hypochondria sæpe intorta sunt, ægri gravius anhelant, nullum in pectore renixum sen-

---

a) Tom. II. pag. 53.

tiunt, vexantur flatibus, urinam mittunt limpidam, et quandoque mucum viscidum cinerei coloris nullo molestiarum levamine ejiciunt.

Ejusmodi ægris dulcia et oleosa majus damnum creant.

Nec opiata ex usu esse possunt, nisi viscera abdominalia omnino libera sint, vel tussis adeo valida, ut gravius inde malum timeatur.

Inflato abdomine rhabarbarina cum terra foliata tartari congruunt.

Inquirendum quoque sedulo, nullæne in visceribus obstructiones lateant? quæ si absint, pilulæ ex radice valerianæ, gummi ferulaceis, castoreo, aut asa fœtida usui erunt. Ubi corpus laxius, nulla plethora, nullus inflammationis metus, martialia addere oportet. Cum vero obstructiones in visceribus abditæ delitescunt, tum frigidioribus sapo, extracta amaricantia, cum gummi ferulaceis addita, si alvus sileat, massa pilularum Becheri, aut extracto rhei accomodata erunt; qui vero calidiore sunt natura, quorum fœtet urina, et excrementa quid putridum redolent, ii nec saponem, nec gummi ferulacea, aut extracta ferunt, sed decoctis ex saponaria et taraxaco, addito sale medio juvandi sunt.

Prosunt interdum firmo adhuc corpore, et ventriculo hypochondriacis aquæ minerales.

Tussis, qua gravidæ uterum altius ferentes,

afficiuntur, plerumque nonnisi partu edito solvitur; quandoque anodynis levatur, sed videndum, an nulla plenitudo adsit, tum enim paregorica obessent, sed sanguis mittendus est.

Nimia tracheæ angustia et glandularum bronchialium scirrhi, tussim generant, catarrho suffocativo similem prorsusque immedicabilem. Gargarismata enim et emollientia, ore detenta mitigant quidem, at non tollunt malum.

Ubi peregrinum corpus in asperam arteriam illapsum tussim ciet, venæ sectio primum instituenda, tum sternutatio, aut injecto prunis pipere nigro, ejusque vaporibus ore attractis tussis vehementior concitanda est ad corpus peregrinum excutiendum.

Quæ ab arthritide, podagra aut scabie nata est tussis, nonnisi revertente priore morbo fugari solet.

Caput XXVIII.

De Haemoptysi.

Omni ætate hæmoptoes observatur, frequentius inter decimum sextum et trigesimum sextum, cum post hunc terminum vasa rigidiora, affectus animi moderatiores ac vitæ genus magis ordinatum sit.

Frequentior Viennæ hæmoptysis occurrit, fortasse, ob ascensus præaltarum ædium difficiliores et crebras aëris vicissitudines.

Parum ad ejus curationem refert, ex arteriisne pulmonalibus, an vero e bronchialibus sanguis erumpat? ibi copiosus, floridus et tenuior excernitur cruor; hic densior, pituita remistus et obscuro magis colore sanguis ejicitur. Fusius hæc omnia apud van Swieten reperias.

Inter causas hæmoptysmi merito abusus mercurii recensetur; novi ipse teneriore corporis fabrica homines, qui sumto sublimato hæmoptoe correpti sunt.

In summo frigore, quod per aliquot hyemes sensimus, vidi plures sputo sanguinis cor-

reptos, quin corpus ad hunc morbum dispositum videretur, aut alia causa erui potuerit.

Caveant feminæ, quæ cum infantibus, quos brachiis gestant, saltare persæpe soleant, ne manum molliori pusionum sterno fortius apprimant, inde enim dispositio ad hæmoptysim et phthisim enascitur.

Feminæ plethoricæ, quibus intempestive emenagoga propinantur, sputo sanguinis corripiuntur.

Ill. Corvisart hæmorrhagiam lethalem a ruptura anevrismatis aortæ in tracheam observavit.

Qui sæpius hæmoptysi laborant cum oppressione pectoris, atque anxietate ad quemvis leviorem motum aucta, quorumque pulsus etiam extra paroxysmum vacillat, et inæqualis est, ii secto post mortem cadavere, polyposas in vasis majoribus concretiones exhibent.

Periculum haud sola ejecti sanguinis copia metiendum est; facilius enim si cætera paria sint levatur æger in larga hæmoptysi, quæ ab hæmorrhagiis consuetis suppressis, vel illata vi externa orta est, quam cum vasis erosis, minore copia sanguis, sed sæpius ejicitur.

In morbis acutis sputum sanguinis infausti est ominis.

Difficilius eorum curatio est, qui collo ob-

longo, angusto pectore, scapulisque sunt prominentibus, et pterygoidei vocantur.

Cura in plerisque a venæ sectione incipienda.

Soli pulsui hic neutiquam fidere oportet, qui in multis sanguineis tamen vel ex terrore, vel spasmis hunc morbum frequenter comitantibus vacillans, parvus ac debilis tangitur, et sanguine emisso insurgit.

In venæ sectionibus celebrandis non nimis timidum esse oportet; vires enim facile redire possunt, sed phthisim curare difficillimum est.

Quandoque post phlebotomiam symptomata placantur, sed brevi vehementiora redeunt, pulsu, et humorum orgasmo crescente, tum venæ sectio iteranda est.

Ubi vero malum ex hæmorrhoidibus suppressis exstitit, hirudines ano applicare decet. Vidi venam ejusmodi ægris frequentius, at frustra sectam fuisse, neque morbus, nisi admotis sanguisugis conquievit.

Tum quoque cum sanguinis sputum ex obstructione mensium periodice rediret, cum Cl. Schmucker simili hirudinum usu sublatum expertus sum.

In feminis ceterum recte habentibus, cum catameniorum vice sanguinem ore exscreant, nihil moliendum, neque medicamentis natura conturbanda est.

Cum æger animo deficitur, solo aceti odore reficere collapsas vires convenit, cavendumque a spirituosis, ac stimulantibus.

Quandoque ex subita mœstitia hæmoptysis nascitur. Aristobulus perempto fratre adeo perculsus mœrore fuerat, ut sputum cruentum rejiceret. Similes casus mihi subinde cernere licuit. Tales ægri vix ferunt venæ sectionem.

Ubi æger debilior est, cum extrema frigent, vel corpus onania fractum esse constat, aut cum malum sæpius rediens, suspicionem movet sanguinis ex erosis vasis emanantis, abstinendum a phlebotomia: prudenter monuit Prosper Alpinus, quod in hæmoptysi, ubi nulla febris, inflammatio, aut plethora adest, locum habere non possit venæ sectio: procul dubio exitialis, ubi ingenti copia sanguinis ejecta, vires profligatæ sunt; neque cum æger jam eo in statu versetur, in quem venæ sectionibus adducere eum cupimus.

Animadvertente Hallero venæ sectio minus lege hydraulica, sed potius corpus animale debile reddendo, hæmorrhagiam minuit.

Quidam artus ligandos esse omnino putant, sed jam Erisistratus persæpe crura, femora et brachia incassum ligavit, præcipue in hominibus longo collo, angusto pectore, scapulisque eminentibus.

Quandoque cucurbitæ cum scarificatione su-

ris, et pedibus adhibitæ, cum neque venam secuisse, nec crura colligasse, quidquam profuisset, opem attulere; magnum inter pectus et extremos artus consensum esse, docuit Baglivius.

Adversus narium hæmorrhagias vesicantia inter scapulas applicanda celebrat Cullen, qua re forte motus Cl. Mertens ea cum fructu in sanguinis sputo adhibuit. Id solum hic providendum puto, ne phlebotomiæ, quæ antecedere debent, prætereantur, neve morbus a dissoluto sanguine, aut vasis erosis originem ducat.

Vix pediluviis quidquam proficitur, cum frigidiora malum exasperent, calidiora humorum orgasmum intendant.

Vena secta decoctum e radice Salep, consolidæ majoris, agrimonia et urtica minore N. 24. prodest. Si malum ab hæmorrhoidibus, vel menstruis suppressis natum est, prospero successu millefolium additur.

Cl. Cullen negat utilitatem radicis consolidæ in hæmoptoe, eodem tamen loco eam maxime mucilaginosam esse asserit.

Perquam salutares sunt emulsiones tenues, quibus passim additur nitrum, quod tum conveniet, cum sanguis crassus excernitur: cum æger magis incaluit, aut spirituosis ante abusus est; ubi vero fractæ sunt vires; ubi tenuis cruor, ac

solutus ex erosis vasis excernitur, minime opportunum est.

Nonnullos hujus generis ægros ex imprudenti usu nitri in extremum discrimen adductos animadverti.

Semina melonum etc. loco humido asservantur, ut recentia videantur, sed tam acria evadunt, ut masticata vesiculas in ore excitent.

Conveniunt quoque in sanguinis sputo emulsa.

Si orgasmus cum pulsu valde celeri observetur, morbus aliis remediis non obediat, pulvis digitalis ad granum dimidium omni tertia aut quarta hora tentare licet.

In hæmoptysi graviori, quæ astuante Sirio, vel post abusum calefacientium, aut vehementiorem corporis commotionem ingruit, si æger cacochymia, oppressione pectoris ac dolore vacet, spiritum vitrioli dilutissimum propinare ex re erit, modo debitæ venæ sectiones antecesserint.

Ubi vero pulsus debilis, extrema frigida, affectus spasmodici observantur, ægri vix ferunt acida mineralia.

In hæmoptoë ab acrimonia scorbutica raro venæ sectionis locus est, sed demulcentia, incrassantia cum adstringentibus et emulsio arabica, decoctum radicis Salep, consolidæ et tormentillæ indicantur; si major calor, vel orgasmus observetur, acida mineralia cum demulcentibus pro-

sunt. Wedelius hæmorrhagias scorbuticas spiritu vitrioli curavit.

In robustis, laute viventibus præcipue si hypochondria inæqualia et non recte mollia tangantur, alvus decocto tamarindorum aut aqua angelicæ movenda est, ut et plenitudo minuatur et revulsione facta, alvi constipatio infesta ac noxia impediatur.

A clysmatibus injectis, forte ob spiritum retentum sanguinis sputum silens rediisse compertum habui.

Certe constat, hæmoptysim habitualem longo alvi profluvio quandoque sublatam fuisse.

Optimum foret monente Prospero Alpino ante morbum nosse in ægrotis, qualia sint hypochondria, siquidem sæpe in bene valentibus inæqualia et non recte mollia observantur.

Qui spumosum sanguinem spuunt, et dextrum hypochondrium dolet, de hepate spuunt, et multi pereunt, notante Hippocrate.

Non immerito Cl. Richter putat sanguinis sputum per irritationem ab acriore bile nasci posse; in similibus anxietas præcordiorum, lingua flava, alvus segnior observatur, ex ea ratione forte Robinson et parens meus emetica nonnullis non sine successu exhibuerunt; ego forte nimium timens, ne per vomitum retinacula vitæ abrum-

pantur, decoctum tamarindorum cum manna et salibus mediis substitui.

Cum a materia acri sanguinis sputum excitatur, gummi arabicum, tragacanthæ, et decoctum salep exhibendum est. Laudatur quoque in simili affectione oleum lini, sed nostris sæpe nauseam et vomitum ciet, idque eo facilius, quod sæpissime rancidum est.

Nonnulli hæmoptoici levabantur, cum decocto vel jure cochlearum uterentur a Zaffio a) et Boeklero b) commendato; hic tamen malo consilio cochleariam, et nasturtium addit.

Demum ubi prædictis remediis et evacuationibus sufficientibus levatus æger nulla oppressione pectoris angitur, pulsus plenus, et durus non amplius tangitur, cortex supradicto decocto feliciter additur.

Incipiendum a minori dosi. Recte enim Ill. Murray c) ait, corticem non tam obturando præsenti sanguinis rivo, quam pulmonibus roborandis, febrique et spasmodicis, quibus hi ægri obnoxii sunt, coërcendis affectionibus idoneum ac parem esse.

Si vero sanguinis sputum periodice redeat, ut in larvatis febribus, brevi cortex exhibendus est.

a) Synops. observ. med. pag. 21.
b) Part. III. pag. 588.
c) Mat. med. pag. 600.

Ubi pulmones pituita obsiti sunt, majori circumspectione in exhibendo cortice opus erit; si vero sub ejus usum respiratio difficilior evadat, desistendum est.

In debilioribus qui ob laxiores pulmones sæpius exspuerunt sanguinem, mox ad corticem confugere oportet, cui vel herbæ leviter adstringentes, ut agrimonia etc., vel demulcentia, ut gummi arabicum addenda sunt.

Similibus succus urticæ expressus, si anni tempus admittat, prodest.

His venæ sectio damnosa foret.

Si morbus nimis validus sit, id quod ejecti copia sanguinis, vires et pulsus ægri docent, adstringentia fortiora adhibenda sunt.

Inefficax est bolus armena. Ego certe cum Ill. Spielmann a) nihil ab omnibus terris argillaceis, quæ aqua solvi nequeunt, emolumenti exspecto; etsi eæ extrinsecus adplicitæ, hæmorrhagias eo pacto sistant, ut vulneri impositæ pastam obdurantem efficiant.

Nec lapidem hæmatitem prodesse vidi.

Præstans remedium, quodque spem medici rarius fallat, alumen est, quo jam in mictu cruento Archigenes utebatur. Id vel in pulveribus Nro. 25 vel in mixtura addito gummi arabico præbitum convenit.

---

a) Mat. med. pag. 437.

Timet aluminis usum Cullen, sed id innumeris vicibus prospere exhibui; habet id commodi, quod alvum more aliorum adstringentium non cohibeat.

Alumen draconisatum haud multo majorem vim ac efficaciam, quam alumen crudum habere videtur; quare eo medicamento, tanti præcipue pretii, facile carere possumus. Etenim libra medica aluminis crudi quatuor grossis, aluminis vero draconisati tribus florenis, grossisque quatuor, hic venditur.

Quodsi debilitas urgeat, corticem peruvianum negligere minime consultum foret.

Dosin determinant vires, pulsus, et sanguinis ejecti copia.

Sæpius omni hora, duo, tria grana aluminis porrexi.

Præhabendi sunt pulveres sero lactis cum alumine a Whytt commendato, præterquam enim, quod ingratum medicamentam est, illud quoque sapore suo declarat, partem aluminis majorem multo in caseosis partibus remanere, quam sero communicari.

Rarius a pulveribus, quam a sero lactis aluminoso ructus acidi, aut soda gignuntur.

Alumine non sufficiente, vitriolum martis arte factum ad gr. β—j pulveribus dictis addendum et altera, vel quarta quavis hora exhibendum est,

Multi adstringentibus parum confidunt, quod medicamentum ante, quam parte affectæ medicinam facere possit, sanguinem coagulando, et vasis pulmonum minimis constringendis mortem adferat; sed alia longe eventus docuit, multosque hac methodo jam pro desperatis habitos integræ valetudini restitui.

Hallerus monet, quod ipsa ferri terra, quam crederes esse adstringentem, abunde in sanguinem transeat, ut accuratis experimentis constitit, triplo enim plus ferri dedit calcinatus sanguis cum ægrota ferrum in medium recepisset a).

Prudentissimum est Ciceronis effatum: sufficit, si quid fiat intelligamus, etiamsi, quomodo fiat non intelligamus. Cl. Gregory b) asserit, quod modus, quo adstringentia in corpore agant, parum cognitus sit, nec referat multum, qua ratione agant, dummodo effectus eorum certus sit.

Commendantur aqua gelida, potusque glaciati; at Ill. van Swieten c) ait, neminem prudentem in sputo cruento ad haustum frigidum confugere et Neifeld d) observavit, facile inde phthisin oriri, si aqua nimium frigida hæmoptoicis largiter administretur. Certe omnes fere, qui-

a) Physol. T. VII. pag. 60.
b) Conspect. medicin. theoret.
c) Tom. IV. pag. 40.
d) Rat. medend. pag. 354.

bus gelida propinabatur, phthisi periisse novi; tametsi ancipiti in casu, anceps tentare remedium præstet, quam nullum.

Plurimi in hæmoptysi paregorica propinant, id quod tum solum facere expedit, cum spasmodica partium remotarum strictura, aut summa asperæ arteriæ irritabilitas, aut denique titillatio, a stillante sanguine orta observatur.

Ubi ad phthisim hæreditariam dispositi tussi titillatoria, vesperi hora somni redeunte, corripiuntur, de Meza *a)* opium per duas, tresve septimanas exhibuit, quo tussis sopiebatur, et eruptio phthiseos subinde præcavebatur, venæ sectione simul instituta, dum pectoris molestus dolor urgebat.

Ceterum hoc remedium in plethora, ac cum debitæ evacuationes suppressæ sunt, noxium foret, quia Freindio teste opium omnem expansum sanguinem ad fluxum concitat, uti fusius hæc Cl. Tralles docet. Concedendum tamen diacodium est, quod jam Boërhaavius non pro opiato, sed demulcente habuisse videtur, dum unciam dimidiam quavis hora sumendam suadet.

Ut curatio optato exitu non frustretur, in causam mali sollicite inguirendum est. Viri cujusdam, in paucis amici, conjux, quæ dum recte

---

a) Soc. med. hafn. Coll. Tom. II. pag. 309. et sequ.

valeret, faciem lividam, sanguine turgentem præferebat, gravissima olim hæmoptysi correpta fuit. Sanguis e brachii, pedisque venis sæpius emissus crusta tam spissa obductus erat, ut cultri apici resisteret. Nihil derivantia, nihil nitrata, nihil demulcentia, aut adstringentia demum profuere, augescebat perpetuo respirandi difficultas ita, ut suffocanda propediem videretur. Ex his conjiciebam malum a denso nimis sanguine proficisci, ut angusta pulmonum vasa transire vix valeat; itaque mutato consilio decoctum saturatum e radice graminis, taraxaci cum nitro, et roob sambuci, tum succum taraxaci largissima manu propinavi, quibus remediis ægra sanitati penitus reddita fuit.

Quinquaginta abhinc annis femina catarrho laborans, sanguinem floridum, copiosum magnis grumis mixtum rejecerat. Vena secta, nullis adhibitis adstringentibus, accessit sibilus ac stertor, ægraque magno nisu, ac pene suffocanda grumosum sanguinem ejecit. In summo discrimine, dum has angustias a grumis latentibus repeterem, juvenili audacia dimidium granum Kermes mineralis sæpius propinavi. Inde grumis facilius eductis sputum cruentum minuebatur, et ægra multis ab hoc morbo annis superfuit.

Hæmoptoes cum vehementi cordis palpitatione a nimia dilatatione cordis ac venæ cavæ oc-

currit; in hac vix quidquam medicamentis efficitur, parvæ, sæpius repetitæ venæ sectiones, exiguæ herbæ digitalis doses, diæta tenuis, alvus mollior, animi et corporis quies quandoque palliative prosunt.

Mature nobis erepto Josepho II. Patri patriæ in venatione cervus celerrime fugiens pectus impegit et Optimum Principem cornubus elevabat; bona fortuna quidem lacerata veste in terram decidit, sed ab eo tempore pondus in pectore per aliquot annos sentiebat, demum cordis palpitatio vehemens, spiritus angustus succedebant; suspicabar vitium organicum ab externa vi ortum; alii in consilium vocati opinioni meæ non assentiebant, sed infarctum hepatis cum spasmodica affectione accusabant; tumidulum quidem erat hypochondrium dextrum, quod in similibus animadvertente Ill. Corvisart observatur; sequebatur absque dedita ansa largissima hæmoptoës, qua palpitatio, spiritus angustia evanescebant, et sanitas adeo emendabatur, ut Augustus Princeps vectionem in rheda et moderatum corporis motum absque molestia ferret. Suasi levissimum decoctum ex radice consolidæ majoris, urtica, fugiendo omnem majorem corporis et animi commotionem, sperans, ut per callum vulneris vita olerabilis diutius protrahi posset, sed sinistro ato numerosas scalas ascendit, cum ob pluvias

copiosas multa palatii cubicula lædebantur; post hunc sano homini molestum motum priora symptomata redierunt, et ut prædixeram, morbus brevi fatum instans minitabatur; subsequentibus sputis purulentis et febre irregulari inter magnas anxietates obiit. Paucis ante mortem diebus me recte judicasse asserebat Augustus æger, et dum de statu ejus et de periculo instantaneo certus esse voluit, meam sinceritatem liberalissime præmiabat. Prohibuit Magnus Princeps cadaveris aperturam, dubium diagnosis non superfuit, cum nullo alio vitio, ut quidam malevoli spargebant laboraverit æterna memoria dignissimus Imperator.

Sæpe ac præcipue in sanguineis aliquot ab imminuta hæmoptysi diebus, veluti vulneraria exsurgit febricula, quæ cum nimis exorbitat, e vena pauculæ sanguinis unciæ educendæ sunt, ne tussi aucta denuo sputum cruentum succedat.

Cessandum ab adstringentibus, si soli grumi egeruntur; ab his enim non exscreatis, febris lenta cum phthisi succedit.

Ubi adstringentium usu expectoratio supprimitur, et pectus angitur, vapores tepidi ore hauriri, et emollientia, sed moderate præberi debent.

Sputa purulenta brevi post hæmoptysim exorta, bonum omen præbent, cum vomicæ metum tollant. Si vero nimium augeantur, viresque mi-

nuant, decocto corticis peruviani et vulnerariarum herbarum coercenda sunt.

Febre absente, pilulæ e cortice peruviano, gummi arabico, olibano et mastiche prosunt.

Victus in hæmoptysi ex endivia, lactuca, hordeo, et oryza parandus est; alimenta vero pene insulsa et tepida sumenda sunt.

Morbo depulso flatulenta, aut difficulter digerenda, item aromatica et spirituosa fugienda sunt.

A largiore asparagi esu hæmoptyses cum Burggraffio a) revertentes observavi.

Quidam medici multum ab herbarum succis exspectant, eosque indiscriminatim ægris commendant. Cavendum a nasturtio et chærophyllo, illud acre est, hoc sæpe tussim excitat; neque remedium interne mammarum indurationibus solvendis, externe discutiendis vasorum spermaticorum varicibus opportunum, hæmoptoicis suadendum est.

Plethorici vigentes, ab hæmoptoicis parentibus nati, vel collo oblongo, et angustiore pectore præditi, modicis venæ sectionibus prophylactice tuendi adversus hæmoptysin erunt.

Cavendum, ne pedes refrigerentur, quod si fiat sanguinis sputum teste Bonneto redit.

---

a) Pag. 77.

Balneum frigidum anceps est roborandorum pulmonum remedium, cum ex antiquissimis observationibus constet, nonnullos, dum frigida lavabantur sanguinis sputo correptos fuisse.

Ad prævertendam recidivam laudabatur sal culinare majori dosi diutius continuandum, sed in morbo ab acrimonia orto nocuum, in aliis ob ardorem et irritationem faucium minus tutum videtur.

Vitanda sunt vestimenta arcta; alvus libera servanda, ne nisu validiore præcipue in plethoricis denuo sanguinis sputum subsequatur.

Demum iis, qui iterato hoc morbo corripiuntur, sæpe conducit loci, atque cœli mutatio; iisque per hyemem locis maritimis, mediterraneis per æstatem opus esse Celsus contendit a).

---

a) De Med. L. IV. pag. 204.

Caput XXIX.

De Phthisi.

Phthisis magis infesta fœminis, raro senes petit, at iis, quos petiit, lethalis est.

Morbus hic aliquot abhinc annis frequentior est Viennæ a venæ sectionibus in morbo inflammatorio pectoris per systematis Browniani asseclas neglectis.

Clima enim nostrum non est insalubre, nam Vienna non paludibus, aut aquis stagnantibus, sed campis et agris lætissimis cingitur, sita est in loco patente, ventis ad temperandum aditum concedente.

Multi in catalogo mortuorum phthisici designantur, qui tabe ex aliis causis, ut infarctu glandularum mesenterii obierunt.

Infantes quandoque purulenta ejiciunt; post mortem pulmones sani, sed sinus frontales atque ethmoidales pure repleti inventi fuerunt.

Qui proceræ staturæ, longo collo, angusto

pectore, scapulis prominentibus præditi sunt, ad phthisim præcipue dispositi sunt.

Quod frequens destillatio in corpore tenui longoque tabem metuendam faciat, jam Celsus notavit.

Quamvis haud illa facile, ut vulgo in Italia creditur, contagione propagetur, non tamen contaminationis metu caret. Noverat Ill. van Swieten virum, qui, postquam moribundæ conjugi phthisicæ oscula præbuisset, ea menti parte, quam ægræ adpresserat, prorsus glaber evasit, etsi densa circum undique barba pullularet.

Ego quoque mulieres aliquot, quæ diu, noctuque cum phthisicis maritis in eodem conclavi versabantur, eodem morbo demum correptas fuisse memini.

Phthisis alia acuta est, alia lenta, humida item alia, aut sicca.

Quandoque a parentibus in proles propagatur; sæpius ab hæmoptysi, morbo inflammatorio pectoris antegresso; tussi humida pertinaciore et catarrhis neglectis oritur. Plurimi namque e vulgo homines, graviore quamvis catarrho affecti intempestivo cœlo temere se exponunt, corpus vehementius exercent, venæ sectiones, et opportuna remedia negligunt propterea, quod eorum animis noxia sane hæc opinio insederit, detracto sanguine catarrhosum virus in massam humorum ferri, morbumque inde exasperari.

Tubercula inveterata pulmonum a catarrho violentiori inflammari et dein suppurari possunt.

Mortonus et Portal phthisin sæpe rheumatismi et arthritidis sequelam esse viderunt.

Nascitur quoque hic morbus a febribus perperam tractatis, crisibus imperfectis, et pulmonum calculis, qui leves quandoque, cretacei, aut tophacei sunt; alii etiam silicum duritiem referunt.

Morgagnius putat, quod ossicula, quæ cum sputis evacuantur, fragmenta bronchiorum ossificata et a nexu soluta sint.

Cel. Baldinger refert complures milites, quorum terga verberibus cædebantur, phthisi correptos fuisse a).

Nonnunquam feminæ debiliore corporis habitu lactandis prolibus phthisicæ evadunt.

Sæpius materies purulenta, quæ in aliis corporibus partibus delitescit, viam sibi ad pulmones parat. Refert van der Monde, pus, quod in tumore glandulæ parotidis hæserat, via ad tracheæ latus sibi facta, in pectoris cavum sese exonerasse. Constat item ex ephemeridibus naturæ curiosorum empyema, quod pleuritidi successerat, ulcere brachii sanatum fuisse.

Ante complures etiam annos juvenis qui-

---

a) Von den Krankheiten einer Armee, pag. 181.

dam in nosocomium fratrum misericordiæ deportatus, gravi pleuroperipneumonia, hucusque penitus neglecta, laborabat. Adhibitis omnibus, quæ idonea fore viderentur remediis, febris insuper valida, eaque depascens continuo augebatur: eam œdema pedum et spiritus angustiæ tantæ comitabantur, ut, nisi erecto corpore reciprocare animam non posset: præterea sputa purulenta pessimi generis, sed minore copia excernebat. Hoc rerum statu ancipiti, dolor inter scapulas nascebatur, sane notabilis, qui tamen respirandi molestias aliquantum levabat, quare cataplasmata maxime emollientia adplicari jussi, affulserat enim velut e longinguo spes quædam secundi exitus, quod sciebam, ejusmodi dolorem, uti Trillerus observaverat, in acerba pleuritide salutarem fuisse. Nec spem fefellit eventus; namque brevi multum puris per urinam et alvum deposuit æger, eodemque tempore copiosa sputa purulenta, eaque melioris notæ tanta facilitate, eoque cum successu ejecit, ut integra ei ac constans valetudo redierit.

Verum pus de vena incisa fluxisse Bækotius testatur.

Quandoque absque cognita causa nonnulli pus ejiciunt; suppurationes absque febre observavit Hippocrates.

Haud absona videtur opinio Cl. de Haen exi-

stimantis, cacochymiam purulentam sanguini inhærentem ad pulmones ferri, tussique rejici.

Vidi aliquoties tumores in externis thoracis partibus subito, et absque manifesta causa natos, neque cum inflammatione, aut febri conjunctos, qui secundo, aut tertio die aperti pus fœtidissimum exhibebant; id quod argumento esse potest, simile quid in internis pectoris partibus quandoque accidere.

Phthisis haud facilis cognitu est sub initium, quod parum tum ægri marcescunt, parum etiam tussiunt, nisi pectus male confirmatum sit. Præterea calor principio mitis est et pulsus languidus: tum febricula matutino tempore fere evanescit lotiumque vix quidquam ab eo differt, quod sani mittere solent.

In phthisis tuberculosæ principio sputa solum mucosa ejiciuntur cum febre vix notabili.

In phthisi tracheali vox est rauca, siccitas faucium, deglutitio difficilior.

Neque sputa in aqua salsa, quam utpote graviorem et experimento capiendo magis idoneam Hippocrates commendat, fundum petentia certum phthisis indicium præbent, cum fieri possit ut et purulenta, quæ sunt sputa ob bullas aëreas glutine involutas aquæ innatent, et quæ pure carent, ob gluten crassum admixtum subsideant.

Rectissime experimentum fit tempore matu-

tino, post somnum, cum sputa commodius ejiciuntur, neque tam multo muco mixta sunt.

Solus sputorum fœtor fallax est signum, quum a muco per miasma malignum corrupto sine exulceratione pendere possit observante Allionio.

Ex observationibus quoque fide dignissimis constat, quosdam e febre hectica præsente, sputisque et purulentis et diuturnis phthiseos conjecturam cepisse, at cum cadaver sectum esset, pulmones plane integros repertos fuisse a).

In aliis a morte pus inventum est, quod cavo thoracis insiderat, quin ulla ejus signa præcesserint.

Cl. Portal juvenis meminit leucophlegmatici, subita morte extincti, qui thoracem sinistrum puris plenum exhibuit, nullis fere pulmonis relictis vestigiis, neque tamen, cum viveret, ullum unquam morbi pectoris indicium præbuerat.

Kleinius vesiculas pure plenas per tussim ejectas meminit.

Capitaneus Weishapel sex mensibus ultra octoginta libras sanguinis cœnosi et vesiculas pure repletas tanti fœtoris ejecit, ut pluribus ante obitum septimanis nemo eum ferre potuerit.

Difficilis curatu phthisis est, testante Forti ob flaccidam pulmonum naturam, motumque eo-

---

a) De Haen Tom. I. pag. 118.

rum perpetuum. Multi omnino phthisin insanabilem esse credunt, sed uti Schenkius a) contra præjudicatam hactenus medicorum et scholarum opinionem asserit, minime in desperatis morbis habenda est. Aurelianus quoque, etsi pulmonum ulcera difficillime consolidari dicat, non tamen insanabilia ea putat.

Curavi inter alios virum, qui pluribus abhinc annis gravi phthisi laborabat, unde pedes ei, et abdomen valide intumuerant; copiam etiam non mediocrem sputorum ejecerat adeo fœtentium, ut nemo adstantium ferre eorum odorem posset. Tamen ope medicaminum ita convaluit, ut vegetus ac torosus superfuerit.

Illa periculosior phthisis habenda est, quam febris acutior comitatur: at quæ ab hæmoptysi oritur, per vim externam illata; ea ceteris paribus facilius sanatur.

Quæ a parentibus in sobolem derivatur, aut ab ischiade, vel arthritide nata est, fere omnem opem eludit.

Improviso vires dejiciens et extremas corporis partes, imprimis pedes ineluctabili frigore corripiens plurimum periculi habet.

Nullum vidi, qui si calculos tussiendo eje-

---

a) Pag. 283.

cisset, mortem effugerit, etsi Morgagnius contrarium animadverterit.

Gravidæ, quæ phthisi affectæ sunt, sæpe brevi a partu tempore intereunt, licet sanum ac torosum fœtum ediderint.

Cum corpus subita macie extenuatur, malum.

Qui cibum avide appetunt, neque tamen inde reficiuntur, de iis conclamatum.

Ubi in phthisi confirmata desinit expectoratio, viresque indies magis collabuntur, brevi tempore extinguuntur ægroti. Hinc recte Langius a) docet: phthisicum pectus absque tussi propinquam mortem prænuntiat.

Malum omen præbent genæ roseo colore suffusæ, prurigo corporis, pustulæ rubræ, miliaribus similes: pessimum sudores, dejectiones colliquefactæ, et fluentes capilli.

Vidi equidem sanatos quosdam, qui sputa gravissima, omnino purulenta, ac viridescentia exscreaverant, sed nullum morti ereptum vidi, qui sputa copiosa, aquosa, et spumescentia, queis purulentæ velut insulæ innatabant, ejecisset.

Quidam magnam sputorum copiam excernunt, quin male admodum se habeant; unde Cl. Vogel autumat, foveas quasdam formari sæpe, quæ in pulmones quidem sese insinuent, et callosis undique parietibus ita obductæ sint, ut collectum

a) Misc. nat. cur. med. observ. 9. pag. 20.

i pus neque penetrare parenchyma, nec contaminare ullo modo possit.

Nunc, quæ in curanda phthisi notanda mihi ccurrunt, recensebo.

Angli modicas, et repetitas venæ sectiones ommendant, quo febris et inquinatus cacochymia purulenta sanguis minuatur; id præcipue illis convenire ajunt, qui plethorici ante et calidiore natura fuere; ne vero jactura sanguinis crudelitatem aut hydropem accersat, fricari corpus et leniter exerceri volunt.

Super omnia venæ sectionem, eamque satis tempestive et copiose adhibitam, utut macilentus et tabidus fuerit æger imparat Mortonus.

Prosunt quidem interdum phlebotomiæ ad jj—jv uncias iterato susceptæ, præsertim ubi de dolore pectoris conqueruntur ægri; id quod jam Fortis et Bonnetus insinuavit, cum pulsus durus tangitur, cum corpus calet, et cruor eductus densus est, aut dolor, tensiove pectoris percipitur: ast ubi pulsus debilis, viresque fractæ animadvertuntur, vel cum corpus sudoribus diffluit, pedesve in tumore sunt, venæ sectio mortem accelerat, etsi sanguis insulæ instar sero innatans, densa lardacea tegatur crusta.

Cavendum, ne sanguis tamdiu extrahatur, donec nulla crusta conspicitur, sed calor, pulsus, tussis, respiratio, et vires ægri considerandæ.

Quandoque ab extenuatione musculorum re-spirationi et deglutitioni inservientium anginæ spe-cies observatur; abstinendum a sanguinis detra-ctione, aut alvum moventibus, humectantia e involventia solummodo ad funestum exitum re-tardandum conveniunt.

In phthisicis catamenia nonnunquam regu-lariter fluunt, nonnunquam emanent, cavendum ab emenagogis, abstinendum a sanguinis detra-ctione, nisi plenitudo pulsus, calor major, pe-ctoris angustia eam suadent.

De Haen xx guttas, et ultra elixir vitriol anglicani, bis terve per diem pluribus mensibu et annis quandoque cum fructu præbuit; sed hæ in phthisi solum remedio esse videntur, quæ pos febres diuturnas sequitur, ubi prava cruoris ma-teries in integros pulmones translata congregatur sputorumque specie ejicitur; præcipue cum vire prolapsæ sunt, et sudores, atque diarrhœa ur-gent. Cum vero inflammationis signa apparent perniciosum id remedium foret.

Quadraginta abhinc annis acida mineralia diacodio aut demulcentibus, ne tussim exasperen mitigata, phthisicis præbui, sed nullo prorsu emolumento; quin odor sputorum adeo teter red-debatur, ut vix tolerare eum circumstantes pos-sent.

Amelung in ulceribus pulmonum, et alii sac-

charum saturni suadent, addita tinctura anodyna, id hic tentatum, sed ab eo ob symptomata graviter aucta brevi abstinendum fuisse scio.

Schulzius succo cucumerum, bis die duarum unciarum pondere dato, hecticos, et tabidos sanatos vidit. Borellus cujusdam meminit peponum esu curati.

Cl. Muzel phthisicum cucumeribus cortice exutis, et pane bis cocto, medicamenti loco exhibitis ad sanitatem perduxit.

Hæc ferme tentari possunt morbo ingruente, cum febris validior est, cum vires constant, ægrique sitim, et æstum queruntur; at ubi corpus languet, humores solvuntur, et alvus liquidior fluit, locum non habent.

Salvadori phthisicis cibos multo sale conditos, exercitia corporis, vini usum commendat, quidam hujates hæc præcepta sequentes brevi obierunt a).

Angli phthisi laborantes recensente Leake calidiores regiones petendo, licet consuetum vitæ genus continuaverint, sanabantur.

Aërem fixum, respiratu attractum magis noxium, quam proficuum fuisse, certis experimentis comprobatum mihi est.

---

a) Del morbo tisico, Libr. III

Cel. Selle aërem fixum in vomicis, et abscessibus pulmonum nihil opis præstitisse refert, in phthisi pituitosa forte prodesse putat.

Promovet sanguineos fluxus aër fixus, hinc anceps est remedium. La Louete per linteamina aquam aëre fixo impraegnatam ulceribus adplicavit; sensibilioribus tumor, dolor, inflammatio augebantur.

Per machinam inspiratus non omni incommodo destituitur.

Legi meretur Dis. Inaugur. de aëris fixi inspirati usu in phthisi pulmonali Göttingæ 1796 edita, authore Mühry.

Berlinchieri ab aëris dephlogisticati usu salutares effectus non expertus est.

Eum absque omni levamine inspirarunt phthisici observante Weickard.

Cel. Fourcroy observavit aërem vitalem in hecticis ab initio levamen tulisse, tussim mitigasse, sed omnia dein in pejus ruisse.

Apud nos nunquam voto respondisse certior factus sum.

In phthisi ex labe scabiosa, herpetica Burserius antimonium crudum cum successu exhibuit. Prodesse id potest sub initio morbi, sed in progressu ejus, præcipue ubi febris notabilior, aut sudor copiosus observatur, vix locum habere videtur.

Neque oleum asphalti bis, quaterve per diem a guttis x — xiv cum saccharo propinatum prodest.

Nonnulli aquam calcis lacte temperatam ulceri exsiccando et lactis coagulo impediendo adhibuerunt.

Ego quoque idem ante complures annos tentavi; sed qui inde levari videbantur, paulo post de appetentia cibi suppressa, ac quodam ventriculi pondere querebantur, sputa cum labore educebantur, anxietas et macies augebantur, et omnia in deterius ruebant. Plus detrimenti affert aqua calcis recenter parata, quæ et acrior et magis caustica est.

Quidam fonticulos commendant, alii setacea, quorum ope fœminam phthisi affectam Hildanus sanatam fuisse refert. Sed hæc emolumento esse vix poterunt, nisi morbus a scabie repulsa, sudoribus v. g. pedum nimis cito fugatis, aut ulceribus consolidatis ortum trahat; imo ne tum quidem ex re fuerint, si febris major urgeat, aut æger macie confectus sit, cum his remediis corpus magis attenuetur.

Pessimo consilio nostri, ac imprimis pauperes oleosa, veluti unguentum mendicorum aut axungiam devorant.

Laudatur a nonnullis in phthisi polygala senega.

Duplex in Austria nascitur polygala, vulgaris, et amara, hæc efficacior est, et senega non absimilis a Cel. Jaquin creditur, quam ejus sententiam sapor et odor herbæ balsamicus confirmare videtur.

Du Hamel factis experimentis virtutem polygalæ tribuit becchicam, incidentem, expectorantem et sanguinis attenuandi vi præditam.

Fidissimus de Haen eam nec spissitudini inflammatoriæ nec diathesi humorum purulentæ corrigendæ aptam esse docet, quod post diuturnum ejus usum sanguis emissus densa crusta coopertus fuerit. Neque ego phthisicum ullum, solius usu polygalæ, sanatum novi, sed ubi materies purulenta muco tenaciori juncta difficilius excerneretur, aut ventriculus lanqueret, eam vel in decocto Nro. 26 vel in electuario cum aliis remediis adhibui.

℞. Rad. polygal. unc. β.

Syrup. liquirit. unc. j.

Sumat tertia, vel quarta quavis hora dr. j.

Nunquam inde, ut a polygala senega (a qua ea de causa abstinendum esse puto) aut vomitum exstitisse, aut largius urinæ vel alvi profluvium observavi.

Commendatur et in phthisi lichen islandicus, qui secundum Cel. Professorem de Well, a quo in ejus naturam ante plures annos me rogante in-

dagatum est, oleo, sale acido, multo phlegmate, et paucissimis terræ particulis constat, cujusque amaritiem partes gummiresinosæ efficiunt.

Olaus Borrichius eum 1674 a) musci islandici nomine prodidit, atque inter pectoralia locum mereri docuit.

Viennæ primus lichenem islandicum, cujus virtutem e Cl. Scopoli commentariis didiceram, auspicato exhibui, maxime tum, cum corticem ægri non ferebant. Sed neque, cum cortex juvaret, lichene abstinui, quin unum cum altero persæpe conjunctum propinavi.

Illum etiam in inveteratis ac pertinacibus tussibus, phthisique incipiente, salutarem Cl. Herz b) expertus est.

Ut plurimum licheni islandico quidquam emollientis, ut herbam malvæ admiscui.

Etsi eum sæpissime inefficacem fuisse non negaverim, nunquam tamen majori in suppuratione, ut Cl. Cullen c) asserit, nocuisse observavi.

Egregium certe lichen islandicus nutrimentum præbet, efficitque, ut lac a debili ventriculo facilius, ac commodius digeratur.

Principio decoctum Nro. 27 aquosum lacti mixtum, dein lichenem lacti incoctum propinavi.

---

a) Act. Havn.

b) Briefe an Aerzte.

c) Act. med. pag. 205.

Infusum theiforme non magnam vim possidet, sed si nimium coquatur, perit amarities, et vappida redditur decoctio.

Non nimis mucilaginosum decoctum convenit, ut eo facilius minora vasa pervadere possit.

Commendat Bergius a) pulmentum e lichene islandico, frigide macerato confectum, quo amarities extrahatur, cum concoqui facillime possit, et ægri etiam frequentiore vomitu chronico afflicti, qui omne nutrimentum rejecerant, illud retinere potuerint.

Nunquam, ut quidam voluere, ex usu lichenis islandici diarrhœam secutam fuisse memini.

At cortex peruvianus est præstantissimum phthiseos remedium, et ejus præcipue, quæ vomicam apertam consequitur, aut in tenerioribus feminis proles lactantibus contracta fuit. Tum etiam, cum vel e remittente febri vel intermittente natus est morbus, maxima salutis spes in cortice collocanda est.

Lewis quidem noxium esse corticem dicit, ego cum Mortono, Loeseke et Werlhoff, quadraginta et amplius annorum usu vim ejus præstantissimam sane et peculiarem expertus sum.

Legi meretur Cl. Christiani Jaeger de cor-

---

a) Mat. med. pag. 856.

ticis peruviani in phthisi usu, quam Cel. Baldinger denuo edidit a).

Nonnulla tamen, antequam cortice utaris, præmittenda, aut cum eo conjungenda erunt.

Ubi pulsus durus, dolor pectoris, aut calor corporis major animadvertitur, cum tussis sicca est, aut sputa ægre admodum exscreantur, vena ferienda est.

Sanguinis detrahendi copiam, e viribus, ætate, et iis, quæ præcesserunt, metiri oportet. Ejusmodi ægris emollientia propinari debent, ut infusum florum verbasci et liquiritiæ.

Tum enim obest cortex, nec decocta conveniunt ex herbis pectoralibus confecta, quod iis sæpe sputa supprimuntur.

Postquam prædicta symptomata emendantur, decoctum ex agrimonia, urtica, vinca pervinca etc. in rem faciet. Ubi vero, expectoratione satis commode procedente vires dejiciuntur, aut febris observatur, statis temporibus magis infesta, ad corticem confugiendum est; sæpius enim, Ill van Swieten observante febri lentæ remittens, aut quotidiana, aut tertiana duplex accedit. Hæc cortice impugnanda est, ne duplici morbo opprimatur æger.

Tum quoque, cum ægri magnam vim spu-

---

a) Tubingæ ann. 1779.

torum expectorant, pulsuque sunt debili, et viribus deficiuntur, cortice utendum erit; continenda namque inter certos limites expectoratio est, quod, pure non satis excreto, ejus acrimonia una cum ulcere augeatur, et, si nimia sit, pus quoque bonum, quod ad sanandum ulcus requiritur, hac ratione abstergatur, ac corpus exhauriatur.

Oportet autem a leviore corticis dosi inchoare.

Decoctum substantiæ præferendum est, hæc enim non raro auget calorem, angustias ægris creat et expectorationem inhibet.

Majorem quoque vim decoctum habet, si cortex per plures horas ante infunditur v. g.

℞. Cort. peruv. selectiss. unc. j.
Infunde in aqua fervente,
Stet per 16 horas in infusione leni, coque per horam: adde
Rad. salep. drachm. j.
Coque per $\frac{1}{4}$ horæ partem
Colaturæ unc. xiv. adde
Syrup. althææ unc. jβ.

Sumat tertia, vel quarta quavis hora dimidium vasculum.

Infusum corticis peruviani frigidum nunquam quod sciam, optatum successum habuit, recte enim Cl. Strack a) asseruit, frustra esse eos, qui

a) De Feb. intermitt. pag. 77.

vino, aut aquæ corticem frigide infundi jubeant, cum vix aliquid hoc modo extrahatur, ut uberius per experimenta a supralaudato Cel. Professore de Well instituta elucescit a).

Pro diversitate symptomatum varia quoque cortici jungenda sunt. Si æger strictiore est habitu, et sputa difficilius emergant, emollientia, uti flores verbasci: si tussis vehementior a materia acri proficiscatur, id quod præcedentia, et sputum tenuius docent demulcentia, ut radix salep: si habitudo ægri cachectica sit, et sputa crassiora, polygala amara, stipites dulcamaræ: si corpus macie confectum imbecillusque ventriculus, lichen islandicus cum cortice exhiberi debent. His omnibus commode liquiritia additur, partim ad ingratum corticis saporem emendandum, partim ad expectorationem faciliorem conservandam.

Ubi inter decocti corticis peruviani usum calor imminuitur, sputa emendantur, quin tamen respiratio impeditior evadat, cortex in substantia, vel in mixtura aut bolis ad drach. j—jj per diem præbitus sane prodest.

Eadem ratione, quandoque absque aliis præmissis medicamentis, mox exhibendus est, cum febris intermittens urget, aut corpus valde de-

---

a) Vide tractatum de febribus a me editum.

ficitur viribus, si expectoratio satis expedita, sputa purulenta sincera, calor mitior, et pulsus debilis animadvertuntur.

Nonnunquam mox a sumto cortice, quandoque sub diuturniori ejus usu, præcipue cum frigidiori se aëri objiciunt, ægri oppressione pectoris corripiuntur, sputa reprimuntur, et anxietas accedit. Ejusmodi, cum symptomata ingravescunt, cum pulsus durior tangitur, aliquantum sanguinis extrahendum est, lenia item emollientia et expectorantia adhibenda, ut decoctum ex malva cum pauca polygala, et liquiritia, aut pulveres ex gummi arabico, tragaganthæ, cum extracto liquiritiæ. Ubi vero melius fit ægris, denuo ad corticem redeundum; si vero rursus lædantur, ab ulteriore ejus usu abstinendum est.

In venereis phthisicis decoctum corticis cum sarsaparilla profuit præcipue.

Quosdam phthisicos ex lue celtica decocto ex sarsaparilla, antimonio, puteaminibus nucum ab agyrta sanatos fuisse recordor.

Mead in morbis pulmonum ex affectione scrophulosa mercurialia laudat, sed facile salivatio funesta, alvi fluxus, aut nimia humorum solutio oriri potest.

Quorum febris, postquam cortice per longius tempus cum prædictis cautelis sunt usi, non decrescit, sed potius augetur, de iis nihil fere

sperandum, nam a morte vel ulcera exhibent sinuosa, vel tubercula, aut scrophulas.

At ubi sub remediorum supradictorum exhibitione nulla febris nec major calor animadvertitur, pulsus mollior, facilior respiratio, et expectoratio liberior est, sequentes pilulæ proficuæ erunt.

℞. Cort. peruv. select. drachm. jjj.
Extr. agrimon.
Mastich.
Gumm. arab.
Extr. liquiritiæ aa drachm. j.

Fiant cum syrupo balsamico pilulæ gran. jjj.
Sumat ter de die v—vjjj.

Cum æger pallet, nec febris, aut orgasmus adest, præter pilulas jam descriptas extractum myrrhæ aquosum tentari potest.

℞. Sacchar. lactis unc. jß.
Extr. myrrh. aquos. unc. ß.

Cautius tamen myrrha utendum, ubi ægri hæmoptysi antea laborarunt.

In febre lenta ex puris resorptione extractum myrrhæ quandoque profuit, dum cortex absque emolumento in usum vocabatur.

Balsama phthisicis non conveniunt, quod calorem et febrim augeant; etsi ea veteribus, propterea fortassis commendata fuerint, quia ad tuenda adversus putredinem cadavera iis utebantur.

Cl. Spielmann balsamum de mecha ceteris ob gratiam et vim calefaciendi minorem præferebat, sed raro sincerum invenitur. Mihi quidem ante complures annos ejus copiam fecerat patruelis meus Comes a Schwacheim, quondam Imperatoris Cæsaris ad Turcarum Imperatorem legatus, a quo id muneris loco acceperat; sed non majorem ejus vim expertus sum, quam illa, quæ in terebinthina cocta inest, quæ minus calefacit.

In aliquibus phthisi incipiente affectis ex sequenti salubrem effectum vidi.

℞. Rad. polygonati drach. β.

Sumat bis de die multa aqua dilutam, bibendo intra nychthemerum jj—jjj libras infusi malti.

Superest, ut quædam de symptomatibus vel curandis, vel palliandis dicam.

Nonnunquam peripneumonia phthisi accedit, tunc ad venæ sectiones, refrigerantia, emollientia recurrendum.

In nonnullis lingua est impura, appetitus deletus, hæc symptomata non semper a saburra oriuntur, et emetica, purgantia præpostere, imo nocue adhibentur.

Tussi phthisicorum mitigandæ opiata idonea prædicantur, quæ quidem initio morbi prodesse possunt, cum febris nondum magnopere invaluit, ut noctu pulmonibus quies concilietur,

ægrique frequentibus concussionibus, non adeo lædantur; secus nocent, cum febrim augeant et corpus ad sudandum magis disponant.

Nonnulli sumto opio cibi appetitum amittunt, alii universi corporis prurigine corripiuntur.

Præstat paregorica, ubi ob vehementiam tussis indicantur, altero, aut tertio quovis die præbere, ne corpus iis ita assuescat, ut dosis augenda sit, et symptomata supra memorata ingravescant.

Opium in substantia præferendum est tincturis spirituosis, quæ ob crocum et aromata calorem, febrim et sudores augent.

Si tussis nimium sicca est, pulvis e speciebus diatragacanthæ, et extracto liquiritiæ convenit; cum vero sputa nimis tenacia sunt, vel levis oxymellis scillitici dosis, vel infusum stipitum dulcamaræ tentandum est, aut sulphuris aurati quidpiam addi prioribus pulveribus potest.

Sputis provocandis minus tuto emetica adhibentur.

Nonnunquam ægri tussis vehementia irritati vomunt, bilemque, quæ etiam in sano ventriculo libere fluctuat, mechanico hoc motu rejiciunt. His certe inauspicatissime vomitorium propinaretur; memini enim, aliquos citius propterea periisse, quod medicus malum ratus in ventri-

culo hærere, febrim lentam pro gastrica habuerit, et emeticum propinaverit.

Adversus sudorem colliquefacientem nonnulli agaricum, duorum granorum pondere sumendum prædicant; sed tantum abest, ut eum unquam salutarem repererim, sed oppressionem pectoris potius auctam ab eo fuisse sciam.

Salvia, quæ quidem sudorem post febres exortum comprimit, in phthisicis nocet, cum calorem, et siccitatem majorem inducat.

Decoctum corticis peruviani cum exigua elixir vitrioli dosi longe ceteris præstat.

Exitiosa phthisicis diarrhœa est, quam colliquativam appellant, sed non omnis pro hac habenda.

Quandoque in iis oritur, qui lacte utuntur, et tum ejus coagulo originem debet; his potius rhabarbarina, et clysmata ex infuso chamomillæ conveniunt; nam si alvus sistatur, anguntur ægri, inflatur abdomen et spiritus multo ægrius ducitur.

E sententia Cl. Rosenstein quandam ad diarrhæam phthisicorum comprimendam vim habet cortex melle rosarum mixtus, si horis a febre vacuis sumatur; sed vel ex his patet, non esse hic de febri colliquativa sermonem, cum ea laborantes vix unquam ab ejusmodi febre immunes sint. Ad hancce diarrhœam impugnandam decoctum

salep, pulvis salicariæ, et paregorica danda sunt.

Laudatur a Boerhaave et van Swieten clysma e theriaca et terebinthina conformatum; sed enema ex opio cum gummi arabico paratum præferendum esse videtur, cum calida illa ut theriaca et terebinthina febrim, æstum et sudorem augeant.

Ad phthisin sanandam non solum ejusmodi remedia requiruntur, quibus febris fugetur, cacochymia purulenta corrigatur et via ad ulcus consolidandum fiat, sed necesse est, ut corpus nutriatur, et chylus probus generetur; cui proposito præ ceteris, lac opportunum est, quod illud animalis nostri liquidi naturam facilius induat, nec tot mutationibus egeat ante, quam in chylum abeat. Si phthisicus multum lactis potet, nullo alio remedio egere jam putavit Aretæus.

Præstat ceteris lac muliebre, quod non tam facile ac vaccinum coagulatur, præcipue si nutrices multum diæta animali utantur. E papillis optimo eventu sugitur, nisi ab hoc opere abhorreant ægri, vel jam ad extrema deducti sint. Vidi nonnullos, quibus sugendi conatus adeo pectus oppressit, ut ob spiritus angustias desistendum iis fuerit.

Lac humanum uti van Swieten observavit, optimum quatuor, aut quinque a refectione ho-

ris ducitur, nam quod mox a cibis sumtis emulgetur, crudum est: quod autem duodecim ab ultimo pastu horis exsugitur, subflavescit, et ad urinæ odorem accedit.

Cum ægri viribus magnopere deficerentur, nutricibus decoctum corticis peruviani non sine fructu propinavi.

Neque illud hic prætereundum videtur, quod mihi, cum plures phthisicas uterum gestantes tractarem, non semel accidit, videlicet, ut, postquam illis corticis decoctum larga manu præbuissem, proles ediderint sanas, et torosas.

Laudatur quoque lac asininum, et caprinum, hoc Ill. van Swieten tum adhiberi jubet, cum ulcus detergendum: vaccinum vero cum consolidandum est.

Asininum alvum persæpe crebrius movet, forte ob nimiam tenuitatem; plerumque, quod pluris constat, parce hic nimis propinatur; unde miror cur ei nondum equinum subrogatum sit, quod proxime ad asininum accedit.

Lactis caprini virtus ob diversum hujus animalis pastum dubia est, cum modo alvum laxet, modo constringat.

Cœlius Aurelianus olim ad levandum cœliacum morbum, lac commendavit capræ, sed adstringentibus et balsamicis herbis nutritæ. Quæ

ratio pascendi animalis, cum ejus lactis tantus sit usus, universim adoptanda foret.

Dolendum, hic Viennæ sæpius in usum vocari lac animalium pravo pabulo vescentium, nam teste Galeno a) pascua animalium ad lactis eorum naturam constituendam maximam vim habent.

Sane quotidiano usu docemur, odorem, colorem, imo et saporem lactis pro diversitate alimentorum diversum esse, vaccas aquis fœtentibus, et palustribus utentes lac, et butyrum ingrati odoris præbere.

Frequenter variis additis nostrates lac adulterant, quibus ventriculus læditur, ut potius detrimento, quam emolumento sit.

Ubi febris intensior est, lac non convenit; quod, quæ partes ejus in cremorem abeunt, facile acres, et rancidæ evadant, quæ vero caseosæ sunt, eæ brevi putrescant. Itaque aut serum lactis, aut lac ebutyratum substitui debet.

Consultum est, lac initio præbere aqua dilutum, ne infirmiores pulmones a bono etiam nutrimento nimium opprimantur.

Cum ægri, dum lacte utuntur, acidi sensum percipiunt, absorbentia jungenda sunt, sed abstinendum a sapone, humores nimium solvente, et febrim quandoque exasperante.

---

a) De sanitate tuenda L. V.

Si appetitus ciborum minuitur, vel pondus in regione ventriculi animadvertitur, nec alvus solvitur, magnesia nitri cum rheo præbenda est.

Ubi vero alvus nimium fluida dejicitur, myrobolani, vel flores rosarum siccati lactique infusi conveniunt.

Si inter lactis usum macies augescit, glandulæ mesenterii tunc infarctæ sunt, nec quidquam lacte proficitur.

Cum phthisis ex ictero orta fuit, lactis usus damnandus est.

Austriaci curationem, quæ solo lacte peragitur, non ferunt, etsi absorbentia, corticem, aut rhabarbarina pro symptomatum diversitate exhibeas, itaque jus carnium præbere illis oportet, teste enim Hallero a) lac adultos debilitat, neque adeo convenit vino utentibus, aut iis, quibus laxa, et debilis fibra est.

Præcipue vero iis, qui vinum immoderatius ante morbum hausere, lac oneri esse solet, uti multis quoque aliis, quin causa appareat, quemadmodum Tissot animadvertit.

Similes quandoque saccharum lactis ferunt.

Nonnulli sub lactis usum, etiamsi cortex etc. iis adhibeantur, sputa nimium copiosa ejiciunt, tunc a lacte omnino abstinendum est.

---

a) T. VII. p. II. pag. 43.

Similibus quandoque infusum malti profuisse compertum habeo.

Nuper in phthisi laudabantur glandes quercus tostæ, præcipue cum obstructio glandularum una notatur.

Recte Ill. Murray animadvertit ea, quæ de esu glandium quercus apud veteres leguntur, ad alias potius species, sapidiores illas, et saniores pertinere; nam, quæ apud nos nascuntur glandes, adeo insipidæ sunt, ut credi vix possit, quemquam hominum, nisi extrema fame urgente, vesci illis aut velle, aut posse. Cicero jam scripsit, quæ est autem in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur. Certe panis e quercuum glandibus, dum annonæ magna caritas esset, confectus alvum obstipavit, et funestum choleræ malum vescentibus attulit.

Glandes tostæ cum lacte in tabe, et quod vix perspiciendum in obstructionibus mesenterii laudari animadvertit Cl. ab Hildebrand a).

Decoctum præterea illarum multis phthisicis nullo prorsus commodo propinatum fuit.

In tabe infantum cum alvo liquida, frequenti decoctum glandium quercus cum lacte profuisse novi.

Quibusdam aquæ medicatæ, veluti selteranæ

a) Pag. 487.

cum lacte prosunt. At ubi corporis vires admodum fractæ, aut phthisis in nutricibus per nimium infantis lactatum contracta est, spadanæ, nisi febris prohibeat, cum lacte præferendæ sunt: hæ enim corpus magis roborant, et ventriculum lacti ferendo magis aptum efficiunt.

Lac aquis selteranis mixtum non tam facile coagulatur.

In tuberculosa lac cum aquis selteranis magis nocuum, quam proficuum deprehendit Cl. Delladecima a).

Quidam lac non ferentes decoctum malti ad libras jjj. cum pane secalino utiliter substituunt.

Damnabili instituto plures aquarum medicatarum libræ matutino tempore ingurgitantur, cum ventriculus et intestina hoc modo nimium distendantur, ac debilitentur, flatusque generentur. Quamobrem etiam a prandiis, postquam digestio perfecta est, aquarum medicatarum quidquam hauriendum est.

Universim, quod attinet ad aquas medicatas, illud Spielmanni tenendum præceptum est: ne major earum copia nimis brevibus intervallis ingurgitetur: ne ventriculo cibis repleto ingerantur: neve a non assuetis frigidæ potentur, hinc vas, selteranis repletum, quandoque calidæ inserendum est.

---

a) Tom. III. pag. 581.

Nonnulli lac tepidum non ferunt, sed frigidinsculum adpetunt. Cavendum tamen a frigido, ne sputa cohibeantur.

Incipiendum a minori dosi. Consultum quoque, principio lac aquis medicatis magis dilutum propinare; tum si ægri ferant, minore aquæ copia temperatum præbere.

Si sub usu aquarum medicatarum alvus frequentius fluida excernatur, desistendum est.

Inter aquarum usum mineralium nascitur quandoque plethora ita, ut ad levem venæ sectionem recurrendum sit.

Nonnulli feliciter sacchar lactis usi sunt, quod sal est essentiale, saponaceum, gratum, et ob virtutem oleososalinam, abstergens, incidens, simulque demulcens. Curandum, ut recens paratum sit, ne ranceat.

Concedi possunt jura e testudinibus aut ranis confecta.

Ostreæ crudæ multum et bene nutriunt, hinc phthisicis concedi possunt, si absque succo citri comedantur, neque ventriculus inde gravetur.

Lycoperdon tuber Linnæi ab Hispanis laudatum, nostris nimios calores creat.

Insalubres a Cl. Zückert habentur ranæ, quæ in limosis aquis degunt, quod et ventriculo molestæ sunt, et febrim generant a).

---

a) Mat. aliment. pag. 98.

Minus tuto cancri fluviatiles adduntur, quem interdum calor et febris augentur.

Damnandæ gelatinæ, quæ a debili ventriculo, pulmoneque imbecillo non superantur; quare aut respirationis difficultas increscit, aut hydrops accedit.

Alimenta phthisicis sæpe, sed parca manu præbenda sunt, ne a turgente cibis ventriculo descensus diaphragmatis, et libera eapropter pulmonum dilatatio impediatur, vel a bono etiam chylo pulmo debilis obruatur.

Vina phthisicis haud conveniunt; sub finem tamen ægritudinis, si febris absit, dulcia, et vix spirituosa, ut Rifosco, et Mazzimino concedi possunt. Si vero cerevisiam in eodem statu appetant, quæ sequitur, cum sat grata, tum salubris erit.

℞. Herb. endiv.
— urtic.
— portul. aa unc. j.
Rad. symphyt. unc. β.

Infunde cerevisiæ bene fermentatæ, et defæcatæ mensur. jj. stent vase clauso; ubi frigent, cola et exhibe.

Non immerito cœlum ruris amœnum, salubri herbarum spiritu refertum, nec impuris, quibus scatent urbes, vaporibus inquinatum phthisicis commendatur.

Vitandus est aër montibus vicinus tum ob subitas, queis obnoxius est, vicissitudines, tum propterea etiam, quod ægri commodius ferunt aërem graviorem, quam leviorem. Eandem ob causam in summis montium cacuminibus et celerius homines et difficilius respirant. Bartholomæus quoque Paschettus refert, Genuæ complures tabidos et phthisicos ob aërem nimis tenuem evadere.

Hallerus testatur homines debilioris pulmonis in Helvetia citius perire, qui in altiora loca sedem transferunt, præcipue, si major atmosphæræ calor sit.

Absint phthisici, ut Ramazzini monet a locis sepulturæ; item a coriariis, pellionibus, fullonibus, saponariis, quorum fœtor ventriculo et pulmonibus inimicus est.

Fugienda aura vespertina asperior, quæ teste Mortono, phthisin deteriorem reddit.

Videndum, ne phthisici in conclavibus degant, paludes spectantibus, vel solo nihilum altioribus; præcipue cum uvidis in locis domus sitæ sunt.

Paucis abhinc annis stabula vaccarum habitare phthisici jubebantur, at absque felici eventu. Murray feminam vidit fere suffocatam, etsi unica in bubili vacca stabularetur.

Cl. Saint Maire contrarium observavit; hinc

cum sinistrum effectum non viderim, habitationem in stabulo vaccarum concedi posse arbitror. Curandum solummodo ut vaccæ sanæ sint, nutritæ plantis balsamicis, locus spatiosus, munde servatus et lectus ægri elevatior; optimum tempus est in stabulo habitanti ad finem hyemis et veris principium.

Aër humidus suffitu olibani, mastichis, aut styracis corrigendus est.

Commendabantur quoque suffitus balsamici, tanquam tussi profligandæ opportuni, sed et tussis inde, et febris majus incrementum cepere, in quibusdam sputum sanguinis successisse vidi. Suffimigia plus asthmati humido, laxis pulmonibus, et catarrhalibus affectionibus convenire videntur.

Aliquot phthisicos in urbem Baaden paucis miliaribus distantem misi, non eo quidem consilio, ut thermis uterentur, sed ut auram illam sulphureis exhalationibus imbutam, caperent; quæ res illis levamento fuit, sed pluribus experimentis, imposterum capiendis confirmari debet.

Galenus jam ægros suos prope Vesuvium misit, ut hunc aërem inspirarent.

Gas quod e thermis Baadensibus evolutum atmosphæram odore inquinat sulphureo, est gas hydrogenio sulphurato impragnatum animadvertente Cl. Scherer.

Roux refert, phthisicum, variis remediis incassum adhibitis, lithantracum fodinam ingressum, cujus aëre sulphureo et expectoratio promota est, et sanitas demum consequuta.

Vix commendandam phthisicis equitationem censeo, cum inde sanguinis per pulmones trajectio augeatur, ulcerique consolidando quies potius necessaria sit. Hinc Hales pulmonum debilitate laborantibus etiam modicas corporis exercitationes dissuadet, Morgagnius exempla affert phthisicorum, quibus celebrata a Sydenhamo equitatio mortem acceleravit.

Clarissimus olim in hac Universitate Professor Joannes Melchior Störck, cui, si qua est in me artis medendi peritia, eam plurimum debere, me plane confiteor, ex hæmoptysi in phthisin inciderat. Hic cum equo aliquando insideret, graviore hœmoptoe correptus est, ac demum e phthisi periit.

Plus emolumenti equitatio habet in febre, et tabe, quæ e viscerum obstructionibus nata est. Et fortasse nonnulli ejusmodi ægri, qui sanati sunt, pro phthisicis habebantur.

Veteres navigationem hanc in rem commendarunt. Hinc Plinius ait: neque enim Aegyptus propter se petitur, sed propter longævitatem navigandi.

Nonnullos phthisicos itinere longiori curatos fuisse constat, forte alienatio objectorum in-

gratorum multum contribuit. Strabone enim teste morales causæ validius agunt climate.

Caveant reconvalescentes ex phthisi a fumigatione tabaci, qua observante Mortono morbus facile recrudescere soleat.

Caveant phthisici, ne febre catarrhali corripiantur, cum ab hac aut tussi diuturniore, ubi jam aliqua labes pulmonum existit, phthisis oriatur, observante Burserio.

Demum phthisicis animi quies concilianda est, namque recte Ovidius a): Attenuant vigiles corpus miserabile curæ.

---

a) Metamorph. V. pag. 396.

Caput XXX.

De Asthmate.

Asthma jam humidum est, jam siccum, modo continenter urget, modo more febrilium paroxysmorum certis aut incertis temporibus revertitur.

Plurimæ sunt asthmatis causæ; velut scabies, et arthritis repulsa, fumi arsenico gravidi, ulcera intempestive consolidata, rigiditas ossea asperæ arteriæ, et bronchiorum, tumores scirrhosi, atque œdematosi thoracis, spasmi hypochondriaci, muco obsiti pulmones, aut nimia pinguedine elisi, sudor denique axillarum frigidis, aut adstringentibus cohibitus etc.

A spiritus vini abusu, ex pulmonibus scirrhosis quoque originem ducit.

Polypi in asthmate defunctorum potissimum non causa, sed effectus morbi sunt. Existunt tamen veri polypi cordis non a morte oriundi, teste Cl. Scarpa a).

---

a) Sull anevrisma riflessioni et observationi anatomico chirurgice.

A crassiore pericardio asthma immedicabile observatur.

Virum novi, qui recte valens fœtido pedum sudore laboravit, hoc, nescio, quibus mediis abacto, per aliquot annos sine incommodo vixit, sed dein ictero, asthmate, et ascita superveniente periit, in morbi decursu totum corpus teterrimum, priorem pedum fœtorem longe superantem spargebat.

Gibbosi quoque frequentius hoc malo laborant ob pectoris angustias, et nervorum spinalium, qui cum intercostalibus committuntur, pressionem.

Nonnunquam causa asthmatis abdomini insidit; sæpe testante Floyero nihil in dissectis asthmaticorum cadaveribus vitii detectum fuit.

Melius et rectius sub die asthmatici valent, quam in lecto, facilius quoque, et liberius sub aëre urbium crasso, omnisque generis sordibus inquinato spirant, quam rure, cœlo sereno, et sicco. Causam hujus rei affert Hallerus a) ajens densiori aëre pulmones melius repleri, sicque faciliorem reddi sanguinis transitum.

Per somnum paroxysmi ingravescunt; exasperatur item morbus, cum cœli temperies vehementiores patitur velut vere et autumno mutationes.

---

a) Phys. T. III. pag. 196.

Matura, aut provecta aetate homines gravius, quam juvenes afficiuntur.

Aegre ab asthmate juniores, nunquam senes Kleinio teste liberantur.

Si tussis sicca in humidam mutatur, indeque levatur æger, faustum id omen fuerit: sin secus infaustum.

Oedemate manus vel brachii accedente, utplurimum hydrops pectoris jam adest. Verum a tumore pedum œdematoso subito orto observante van Swieten sæpe miro modo levantur asthmatici.

Fusius de cura, et signis asthmatis disserit Sauvages a).

Defectio animi crebrior lethalem portendit eventum.

Frequenter insanabile est asthma.

Ipse Floyerus, qui egregium de eo librum scripsit, triginta annis hoc morbo laborabat, neque tamen omnibus tentatis remediis convaluit.

Asthma ab interno aneurismate per plures annos protrahi potest, palpitationibus initio perpetuis, postea sacco crassiore reddito per menses redeuntibus.

Asthmati persæpe phthisis, hydrops pectoris, aneurisma præcordiorum accedit.

Si pulsus fortis, et plenus metum afferat va-

---

a) T. II. P. II. Nosol. meth. p. 168—83.

sorum disrumpendorum, venæ sectio moderata opportune instituitur, præcipue cum menstrua, aut hæmorrhoides suppressæ erant. Neque tamen imitandus Mead a) videtur, dum ait: multiplex asthma multiplicem postulat medicinam; cujuscunque vero generis sit, semper profuerit, venam incidere, nisi quid obstet.

Venæ sectionibus, et purgationibus intempestivis hydropem pectoris, ab excitantibus, et stimulantibus inflammationem successisse compertum habeo.

Momentaneam quidem opem sæpe sanguinis eductio præstat, sed brevi omnia in pejus ruunt, hydropsque frequenter accersitur, præcipue si ægri in paroxysmo plus pallescant.

Leviore, et recente malo, cum febris abest, et nausea; atque anxietas circum præcordia, vel aliquot post pastum horis consequens exacerbatio observatur, tentari emetica poterunt; ast malo inveterato, et comitante febri, morbus post emesim impetu fortiore redire solet, id quod omnibus accidisse narrat Wintringham b), quibus paucis post vomitum momentis notabilis spirandi difficultas rediit.

Obsunt, quæ exscreationem promovent me-

---

a) Monita et præcepta med. pag. 61.

b) Richardi Mead. monit. et prax. med. observationibus illustrata. pag. 93.

dicamenta, ubi vix anhelitus ducitur; nihil enim hoc rerum statu exspuere ægri possunt.

Neque in vapore aceti, seu simplicis seu scillitici ope spongiæ attracti multum spei est, quum omnes, qui tali respirandi angustia premuntur, ab hujusmodi vaporibus, testante Wintringham, enixe abhorreant, quamvis ii in asthmate pituitoso salutares esse possint.

In asthmate sicco ex purgantium, et diureticorum abusu hydropem pectoris cum Cl. Kleinio enatum vidi. Observatis constat, quod paroxysmum asthmaticorum ingruentem subinde alvi fluxus frequentior præcedat.

Hyosciami extractum in asthmate aut dispnoea convulsiva non inutile esse asserit Allionius, sed opiata, si convulsivum excipias, vix idonea sunt, cum ægri, præcipue pituitoso in asthmate, dum materia intus cohibetur, eo adduci possint, ut fere suffocentur.

In pituitoso ægros opio sumto in suffocationis metum præcipitatos cum Cl. Waldschmid novi.

Malo urgente opium aqua dilutum rectius, quam in pilulam conformatum præscribitur, cum hæc in ventriculo difficilius, et nonnisi post longius tempus solvatur.

Si hystericæ asthmate correptæ multum flatibus non secedentibus torqueantur, quæ alias iis prorumpentibus levabantur, cucurbita scrobi-

culo cordis imposita sæpe juvat; ubi vero causa in visceribus abdominalibus obstructis, ut hepate hæret, ad solventia etc. recurrendum est, ut uberius ex capite de ictero patebit.

Cl. Carminati aërem vitalem in asthmate affinibusque a spasmo ortis non profuisse expertus est.

In asthmate humido, interpositis purgantibus, et clysmatibus acrioribus, kermes minerale, gummi ammoniacum, oxymel scilliticum, infusum hyssopi, et stipitum dulcamaræ conveniunt.

In asthmate cum glutinosis sputis enulæ radix, ireos florentinæ propinari possunt, hæc recens acris est, et ob vim purgantem inter hydragoga numeratur, sed exsiccata vim resolventem possidet.

Stipites dulcamaræ longiore tempore haud decoquendi sunt, cum ejusmodi decoctum amaritiem contrahat pluribus ingratam.

Quidam remedia nauseam excitantia diu continuanda suadent, sed hæc longiori tempore sumta, quin multum levaminis ferant, digestionem, et ventriculi robur lædunt.

Etsi pulvis ipecacuanhæ inhalatus inimicus sit pectori, cum in transactionibus anglicanis referatur, feminas duas violentis asthmaticis symptomatibus correptas fuisse, dum ipecacuanha contunderetur, eam tamen Wedelius a) jam olim

---

a) Diss. de ipecacuanha, pag. 37.

in affectionibus pectoris, pulmonibus nondum exulceratis, interne exhibuit. Nuper restricta dosi ita, ut tertia aut quarta quavis hora dimidia grani pars ægro præbeatur, iterum commendata est. Profuit quandoque, at sæpius spem fefellit.

In asthmate pituitoso kermes minerale, gummi ammoniacum etc. multo plus præstitere.

In nonnullis tamen præcipue in pallidioribus, et inflati habitus ægris nec hæc juverant, verum extractum scillæ aquosum prioribus additum levamini fuit.

Idem remedium cum successu exhibui gibbosis asthmate leviori affectis, ubi pulsus vacillabat, aut pedes tumere incipiebant, ita hydropem pectoris, qui in similibus brevi sequitur, sæpe præverti.

Stimulantium, velut kermes mineralis dosis sensim augenda est, ne, dum materies nimis crassa, nec adhuc expectorationi apta est, ægri per majorem dosim lædantur.

In asthmate humido, chronico, cum pallore cutis, et debilitate conjuncto laudat gas oxygenium Arnemann.

Nullam ab extracto tabaci in asthmate laudato opem allatam ægris observavi.

In asthmate ex ulceribus citius consolidatis decoctum sarsaparillæ, bardanæ, æthiops antimonialis, interpositis, si corpus succi plenum

sit, purgantibus, nonnunquam prodest, non neglectis pro diversitate subjecti, et symptomatum balneis sulphureis, vesicatoriis, fonticulis, aut setaceis.

Quandoque emplastrum semivesicans latius extensum commode inter scapulas applicatur; observatum quippe fuit, nonnullos ingruente paroxysmo dolorem in scapulis, jam remittentem, jam intermittentem passos esse.

Vesicantia sæpius renovata, aut diutius suppurantia æquæ, vel majoris sunt efficaciæ, ac cortex mezerei, qui ægris majus tædium, et irritabilioribus majorem dolorem parit.

In asthmate ex arthritide gummi guajaci, sulphur, antimonium, vesicantia ad artus inferiores, balnea sulphurea indicantur.

Suffimigia in asthmate humido ex laxa pulmonum constitutione tentare licet.

Tractaveram aliquando asthmaticos duos, qui sub paroxysmi principium viscidissimam materiam tanto nisu exscrearunt ut anima interclusa suffocandi prope viderentur. Ii pulvere ex floribus sulphuris, extracto liquiritiæ, et kermes minerali levabantur primum, tum febricula lenta accessit, sputa copiosa ac purulenta pessimæ notæ ejiciebantur, viresque diffluebant. Hausto decocto corticis, lichenis islandici, et liquiritiæ to-

lerabili ad tempus valetudine utebantur; verum decurrens eodem tenore paroxysmus absque manifesta causa sæpius rediit. Horum alter, qui ex animi pathemate malum contraxerat, impatiens curæ exteras provincias adiit, quæsiturus medicinam morbi; verum accedente universi pene corporis herpete, adhibitisque incassum variis remediis, quarto post anno reversus in patriam miserrime obiit. Apertum cadaver præter polypos vasorum majorum, et calculos cysticos, qui effectus potius, quam causa morbi fuisse videbantur, nihil peculiare exhibuit. Alterum, cui sublimati corrosivi usus asthma supradictum adduxit, longiori tempore sequentibus pilulis, decocto stipitum dulcamaræ et aëre sulphureis vaporibus imbuto servavi.

℞. Cort. peruvian. selectissim. unc. j.
Flor. sulphur.
Extr. liquirit. aa. dr. jj.
Gumm. ammon. scrupul. jv.
F. pil. gran. jjj.

Sumsit ter per diem vj. progrediendo ad decem usque. Demum aëris injuriis cum se incautius objecisset, peripneumoniam notham contraxit, qua periit.

In nosocomio fratrum misericordiæ ægro gravissime asthmatico medicamenta indicata absque

effectu propinavi, dein sine remediis me stupente sanatus nosocomium deseruit.

In asthmate convulsivo vox acutior est, urina tenuis, et copiosa redditur, et paroxysmus animi motibus aut excitatur aut exasperatur.

Non raro, Baglivio animadvertente, frigoris in capite sensus præcedit, quem quidam in vertice dolor comitatur.

Ex sola raritate pulsus quandoque natura asthmatis convulsivi Burserio innotuit.

In paroxysmo crocus, spiritus salis ammoniaci, et opiata: extra paroxysmum, frictiones spinæ dorsi aromaticæ, equitatio, pilulæ Nro. 28 ex radice valerianæ cum gummi galbano et asa fœtida adjumento sunt.

Semper tamen ratio temperiei, pulsus, vitæque antea actæ habenda est.

Martialia, etsi fractum sit ac debile corpus, plerumque obsunt asthmate convulsivo laborantibus.

Cum e vitio solidorum malum enatum est, pro insanabili haberi debet; animadvertit Illust. Tralles vir ob artis peritiam, suavitatem morum, candoremque animi mihi plurimum colendus, nihil ad vitia partium solidarum tollenda opis in medicamentis esse.

Plures ultimis hisce annis tractandos habui,

qui respiratione laboriosa ad motum corporis vere suffocativa cum ingenti palpitatione cordis laborarunt, ut merito suspicionem vitii organici cordis aut vasorum majorum moverint; his præter victum tenuem, parvas sæpius repetitas venæ sectiones, pulverem digitalis eo cum successu exhibui, ut plures longiori tempore vitam tolerabilem duxerint, aliqui a prædictis symptomatibus liberati fuerint.

Sequens casus huc referri videtur: juvenis Anglus Winhuud ruri degens vehementi adeo cordis palpitatione laboravit, ut costæ jam in anteriora pectoris elevarentur, spiritus erat brevis, anhelosus, ad minorem corporis motum suffocationem minitans; huic præter frequentes phlebotomias medicamenta refrigerantia, sed sine effectu ordinavi; tum per plures annos nihil de ejus statu certior factus fueram, eum obiisse putavi; casu cum ejus Medico Grofsbaur conveni, qui mihi retulit, ægrum nunc bene valere, nupsisse, filios procreasse, per plures horas sine incommodo ambulare, solummodo omni circiter quinto mense oppressionem dorsi sentire, quæ sanguinis detractione evanescebat semper, sic quatuor annorum spatio centum viginti quatuor venæ sectiones se instituisse. Ante biennium in Bohemia morans subito exspiravit.

Gibbosos asthmate laborantes, potissimum

hydrops pectoris invadit. Hinc ubi pedes aliquantillum tumebant, et spiritus angustior ducebatur, levissimam dosin extracti scillæ cum extracto liquiritiæ propinavi, qua re et symptomata levabantur, et ægri per complures annos sustentati fuere.

Si asthma a pulmonibus pinguedine elisis ortum trahit, obesitas præcipiente Hippocrate tollenda est paucitate ciborum, exercitiis fortibus, obsoniis hortensibus, stragulis duris, curis, et vigiliis.

Quandoque asthmatis species a vitio primarum viarum occurrit; de Haen anxietates circa præcordia et palpitationem cordis unico purgante sustulit.

In asthmate e scrophulis orto quandoque sequentes pilulæ levamen tulerunt.

℞. Spong. marin. combust. unc. β.
Extr. fumar.
Gumm. ammon.
Flor. sulph. aa. dr. jj.
Antim. crud. dr. j.
F. pilulæ granorum jjj.

Sumat ter de die vj. progrediendo ad x—xjj.

Verum cuilibet in re medica versato notum est, morbos chronicos, velut asthma, phthisim, tabem, aut hydropem, cum e scrophulosis tumoribus nati sunt, vix aut ne vix quidem sanari

posse, præcipue si lapideam jam duritiem nacti sunt.

Scrophulæ juvenum quandoque sponte solvuntur, quandoque, ubi victus pastaceus glutinosus, habitatio humida cum sicca, et victu animali commutatur, emendantur.

In tumoribus scrophulosis externis inchoantibus adlaborare oportet, ut hi dissipentur et impediatur, ne similes in partibus internis, ut pulmonibus, mesenterio nascantur.

Non ignoro diversissimam esse scrophularum naturam, seu illæ in diversis corporis plagis, seu una eademque in parte, velut in collo existant. Itaque de Haen non multum fidit remediis, cum quod uni quidem solvendæ par foret, ad reliquas abigendas non valeret.

Burlet scrophulosis aquam calcis exhibuit, sed nullus horum curabatur, verum macies, et appetitus dejectio inde nascebantur.

In strumis efficacissimam expertus sum spongiam marinam combustam:

℞. Spong. marin. combust. dr. vj.
Elæosacchar. anis. unc. β.

Sumat bis per diem gr. xxx. progrediaturque ad L usque.

Nunquam e spongia marina, ut alii asserunt, maciem, aut tabem secutam esse observavi, quæ, si succedunt, forte tumoribus, intra corpus la-

titantibus rectius quam medicamento huic adscribendæ sunt.

Laudabatur plurimum terra ponderosa salita; nec apud nos, nec apud Havnienses profuit, sed in annosis subjectis irritabilibus nocuit.

Cum jam profligatus est morbus, ægrique convalescere videntur, amaricantia primum, tum cortex et lenia martialia opportune adhibentur.

Mirum prorsus videtur, quod Lucas asserit a), multos Spandanarum incolarum strumis laborare.

Plurimum deinde a diæta, ratione vivendi, munditie, et corporis motu pendet.

Tumores glandularum et scrophulæ in plenilunio augentur et decrescente luna minuuntur.

Scrophulosa ulcera ut plurimum versus autumnum emendantur, mitiora sunt hyeme, sed redeunte vere in deterius ruunt.

Affectionem scrophulosam Lutetiæ frequentiorem esse ab eo tempore, quo frequentior morbus syphiliticus existit b) testatur Richerand.

Helmontius adversus scrophulas velut peculiare remedium digitalem purpuream L. commendat, cujus radix in pulverem contrita interne

---

a) Essay on Waters. pag. 257.

b) Nosographie chirurgicale par Richerand. p. 309.

sumitur, externe vero cum gummi ammoniaco et bdellio in emplastrum conformata applicatur.

Laudat idem remedium Burmannus.

Hermannus vero vult digitalem novellam et prima plantæ erumpentis germina in usum adhiberi; tum succum eorum expressum in butyro coqui tamdiu, donec succus concoctus est, tum idem addito novo succo iterari.

Oportet autem sufficientem hujusmodi medicaminis copiam parare eo anni tempore, quo flores haberi possunt, cum integer annus, quin longius etiam tempus ad curationem absolvendam requiratur. Refert præterea Cl. auctor, ulcera primo majora fieri, sed tandem sanari, et cute obduci. Unguentum hoc in scrophulis solum humidis et manantibus salubre esse, in siccis vero parum valere asserit.

Cl. Lentin contrariæ sententiæ est, et theam ex digitali purpurea quosdam fere trucidasse, et symptomata enata emollientibus anodynisque mitigata fuisse author est.

Narrantur quoque ab aliis infausti effectus succi digitalis cum cerevisia exhibiti; at constat, nimis magna dosi propinatum fuisse.

Annis elapsis nonnulli cum scrophulosis tumoribus in nosocomio erant, qui incassum antimonio, sulphure, æthiope minerali, amaricantibus, decocto sarsaparillæ, saponaceis, gum-

matibus, cortice, mercurialibus usi fuere, at succus digitalis purpureæ recenter expressus, atque externe applicitus, tum extractum interne præbitum quandoque iis profuit.

A grano uno extracti incepimus, dein ad v—vj progressi sumus; paucissimi majorem dosim ferebant.

Inter alios juvenis erat post scabiem externis remediis retroactam scrophulis colli correptus, cui nulla remedia seu interna, seu externa adversus scabiem retropulsam laudata profuere. Imo alios scabiosos contrectavit, neque inde scabies proliciebatur. Demum digitali, tum interne tum externe adhibita, nulla subsequente scabie, convaluit, emollitis primum tumoribus, tum bonum ac blandum pus fundentibus.

Nonnulli titillationem, alii sensum doloris in parte affecta, adhibito ante commemorato remedio experti sunt.

Duo a sumta leni extracti digitalis dosi iterato febricitare cœperunt, itaque ab ulteriore ejus usu desistere cogebamur.

Pauci quidem a majori dosi dolorem capitis, offuscationem oculorum et vertiginem querebantur, eorumque caput magis inflatum adparuit, his minuenda dosis erat, quam dein ad perfectam sanationem usque absque incommodo ferebant.

Cum sub usum digitalis scrophulæ exulcerari cœpissent, utplurimum suppuratio bona sequebatur; in nonnullis vero scrophulæ clausæ in suppurationem abibant, pureque bonæ notæ exhibito consolidabantur, quamvis ulcera similia alias difficillime sanentur.

Deficiente succo recenti, emplastro ex cicuta cum extracto digitalis usi sumus, sed multo lentius vim suam hoc medicamentum exeruit.

℞. Emplast. de cicut. unc. vjjj.

Extract. digital. unc. jv.

Ulceribus sanatis nullum aliud incommodum successit.

Nuper succus lacteus Helvellæ pineti, s. acaulis Linn. in tumoribus scrophulosis laudabatur, cujus tamen nondum periculum fecimus a).

Diæta, si diversis asthmatis speciebus accomodata sit, liberque a curis animus maximum forte præsentissimumque asthmaticis levamen adferent.

Cavendum, ne thorax, aut abdomen arctioribus vestimentis constringatur, ex qua causa multi morbi pectoris, et abdominis originem ducunt, quare sapienter Lycurgus Spartanis præcepit, ut largis vestibus uterentur.

---

a) Histoire des decouvertes faites par divers savans voyagers etc. pag. 110.

Moderatus quidem corporis motus, si eum tolerare ægri possunt, commendandus; sed exercitationes corporis ad lassitudinem usque suscipiendæ, quas Mead suadet, præcipi nequeunt, cum eæ spiritum angustiorem reddant.

Vitanda equitatio aut violentior corporis motus iis, qui insigniore cordis palpitatione laborant.

Caput XXXI.

De Hydrope Pectoris.

Præter causas hydropis communes hæc quoque ad progenerandum pectoris hydropem magnam vim habent: mala pectoris conformatio, ejusve compressio, polypus, aneurisma cordis, aut vasorum majorum, scirrhi pulmonum, et eorum violenta inflatio, unde tibicines, et cantores frequentius hoc morbo tentantur; item cum vasa, valvulæque cordis naturam et duritiem ossium induunt; aut œdema pedum subito externis remediis retropellitur.

Vitia organica cordis et vasorum majorum frequentia esse cum Ill. B. Corvisart observavi.

A potu frigido, dum corpus æstuabat, ingesto post sex septimanas hydropem pectoris lethalem observarunt Havnienses.

Vidi persæpe hydropem pectoris tum ortum, cum hæmorrhoidibus nimium fluentibus, fracto corpore, et a plethora immuni vena secabatur. Idem accidit, dum phlebotomiæ, emenagoga etc.

in usum vocantur, ubi post morbos acutos inopia sanguinis menstrua non fluunt.

Denique dum sanandis annosis tumoribus, et quasi scirrhosis viscerum obstructionibus solventissima remedia, ut decoctum graminis, taraxaci, aut eorum extracta, salia media et mercurialia magna copia propinarentur, hydropem inde pectoris successisse comperi.

Nempe multo facilius evenit, ut humores corporis nostri nimium solvantur, quam ut inveteratæ istæ obstructiones tollantur.

Diæta solum accomodata, et ea, quæ alvi obstructionem impediunt, adhibenda sunt.

Feminam tractavi. quæ tenero ceteroquin et debili corpore durum, et ingentis molis lienem gestabat; ea hac usa methodo, ultra viginti annos satis commode degebat.

Serum, quod extra vasa erupit, vel in utroque pectoris cavo; vel in pericardio, aut mediastino; vel sub sterno, aut inter binas pleuræ lamellas hæret; quandoque in pluribus locis collectum stagnat.

Potest et pulmo hydropicus evadere, tum vero aqua vel in sacco, vel per tunicam cellulosam diffusa, aut in vomicis, vel hydatidibus congregata deprehenditur.

Multo frequentius, quam vulgo credatur, hydrops pectoris occurrit; qui principio quidem

cognitu difficilis, in progressu sæpissime immedicabilis est.

Plerumque cum levi dispnœa orditur, tum tussicula accedit sicca, post motum quemlibet respiratio solito plus acceleratur, humida tempestate pejus, sicco ac frigido cœlo melius habent ægri. Sæpe per longius tempus hic status durat; aucta dein seri copia symptomata quoque augentur, ne per quietem quidem sopienda; commodius in unum latus cubant hydropici, et in id sæpe, in quod ante non solebant. Tum flatus accedunt, spasmi, et animi dejectiones; tument crura, et quandoque scrotum; nonnunquam e lecto surgere coguntur ægroti, lotiumque emittunt modicum cum sedimento lateritio, demum præcordiorum angustiæ, sub vesperam inprimis crescunt, una, raro utraque manus tumescit, inflatur vultus, corpus tabescit; quandoque frigus in pectore sentiunt, amaurosi, et brachii paralysi corripiuntur, et spumam albam, pallenti rubore infectam, ore ejiciunt.

Dum in una thoracis cavitate collecta latet aqua, facilius incumbitur parti affectæ; si in utraque, commodissime erecti sedent ægri, corpore paullulum flexo antrorsum. Nonnunquam, cum aqua tenuis est, fluctuatio in pectore percipitur; interdum pulsus debilis, et parvus, quandoque durus, et inæqualis deprehenditur.

Jubet Hippocrates, ægros humeris prehensos concuti, ac explorari, utrum strepitus aquarum discernatur; verum id fieri perraro potest, cum minimus quisque motus eis persæpe spiritum ferme præcludat, neque sonus etiam, cum aqua in sacco collecta est, percipiatur.

Nonnulli, percusso pectore, aquam præsentem velut indicio deprehendere malunt, quod latus affectum, cùm pulsatur, aut nullum pene, aut certe obtusum sonum reddat.

Inter signa, quæ hydropem pectoris prodant, id quoque de Haen refert, si sputum absit cruentum; verum sæpius in hoc morbo ejusmodi sputa apparent.

Hydropi pericardii multa symptomata cum polypo cordis communia sunt, veluti pressio, et angustiarum sensus circa anteriorem thoracis partem, anxietas, et palpitatio cordis, tussis sicca, respiratio exspiratione difficilior, in situ horizontali fere impossibilis.

A crassiore pericardio symptomata hydropis pericardii existunt.

Nonnunquam, corde palpitante, undulatio tertiam inter, et quartam costam animadvertitur, quæ, pericardio admodum distento, vix percipitur. Pulsum frequenter reperi subdurum, et intermittentem; fluente alvo, levari ægri videntur, sed revera morbus ingravescit.

Vieussenius e plumbeo colore, labia, et palpebras obsidente hydropem pericardii conjicit, sed persæpe hic morbus nulla ejusmodi nota insignis occurrit.

In hydrope pulmonum jam sub initium morbi spiritus ægre ducitur propterea, quod eum mediocris seri copia in pulmonum intervallis accumulata multo angustiorem reddat, quam major aquæ copia in thoracis cavitate eollecta.

Simson a) ait, se semper œdematis pulmonum conjecturam e facie turgida, pedibus circa malleolos aliquantum tumentibus, difficiliore respiratione, et pulsu inprimis adeo suppresso, ut vix explorari posset, cepisse; fatetur tamen vir Cl. rarius in cadaveribus pulmonum hydropem reperiri, tum quod facilior curatu est; tum etiam, quod idem morbus, si pertinacior sit, rupta tali vomica aquæ in hydropem pectoris haud difficulter abit.

Fusius de Haen signa hydropis recenset; at ea sæpe fallunt. Sic Cl. Ludwig b) hydrope lateris sinistri laborantes vidit, dextro lateri sine molestia incumbentes et contra. Ipse de Haen c) testatur, in hydrope pectoris quodam gravi no-

---

a) Medical Essays P. II. pag. 627.
b) Advers. Vol. II. P. IV. pag. 636.
c) Tom. VI. pag. 89.

cturnas anxietates vel diu siluisse, vel omnino non adfuisse. Tumor item unius, vel utriusque manus in multis non reperitur, in quibusdam paucis solum ante mortem diebus observatur.

Legi meretur tractatus de morbis cordis et vasorum majorum Ill. Corvisart.

Hypochondriorum tumor, qui hydropem pectoris indicare dicitur, in obesiore corpore difficilius deprehenditur. Denique membranæ pericardii in eam quandoque molem, præcipue in asthmaticis, excrescunt, ut et palpitationem et syncopem producant, quin ullum uspiam serum collectum sit.

Itaque, cum signa ante commemorata persæpe fallant, cumque hic morbus, et nulla sui præbita suspicione, adfuerit quandoque, et sæpe abfuerit, quamvis ejus indicia observari oculis viderentur, satis fuerit, ea adduxisse, quibus rarius in fraudem impellimur.

Ex parva aquæ copia, quam in multis cadaveribus intra pericardium collectam videmus, haud concludere licet, ægrum hydrope pectoris laborasse.

Hydrops pectoris semper cum periculo conjunctus est, eoque vel majore, vel minore, pro diversa symptomatum, diuturnitatis, et causæ ratione.

Facilior curatio est, cum pulmones occupat,

quam cum serosus latex extra eos effusus in cavo thoracis hæret.

Saccatus vero, vel a polypis, aut aneurismate ortus insanabilis est.

Mali ominis sunt manus œdemate affectæ, sputa cruenta, aut subcruenta. Qui hæc exscreant, etsi medicamentis interdum levari videantur, sæpe inopinato pereunt.

Quodsi parum lotii profundius tincti excernatur, tum adhibitis diureticis largius fluat, mutato in melius colore, spes adest recuperandæ valetudinis. At ubi sub pharmacorum usu copia urinæ denuo decrescit, colorque ardentior evadit, quin manifesta hujus causa deprehendatur, actum est cum ægrotis.

Ad hydropem pectoris curandum varia adferuntur remedia.

Extractum nicotianæ ab aliquibus commendatum absque effectu propinatum fuit.

Arnicam, qua Berolinenses a) ante octoginta fere annos in hydrope pectoris cum sputis rubellis utebantur, inefficacem quoque deprehendi.

Nonnunquam ut ex superioribus constat, pulsus in hoc morbo subdurus est, imo durus, et plenus. Hoc vero rerum statu nihil venæ sectione perniciosius fieri potest.

---

a) Vol. X. pag. 48.

Occurrebant Celeberrimo de Haen ægri, qui pulsum plenum exhibuerunt, licet corpus pene exsanque esset.

Vidi, cum sanguis, improbante me ac invito, extraheretur, ægrotos ad breve tempus levatos quidem, at iidem, ingravescente spirandi difficultate paucis post diebus exstincti sunt.

Hinc præclarum Celsi effatum est: sanguinem, incisa vena, mitti, novum non est, sed nullum pene morbum esse, in quo non mittatur, id novum est.

Quandoque hydropi pectoris, ut in tractatu de inflammationibus monui, peripneumonia accedit. Cujus rei indicium præbent genarum rubor, pulsus durus, plenus, et fortis; dolor, aut oppressio pectoris, febris, sitis, tussis major, sputa glutinosa, aut purulentis similia.

Hæc cum adsunt, symptomati maxime urgenti occurrendum, et sanguis, neque tamen adeo largiter, ut in reliquis peripneumoniis educendus est; tum decoctum ex radice polygalæ amaræ, althææ, liquiritiæ cum oxymelle simplici, et modico nitro propinandum; ubi sputa coqui incipiunt, sed cum difficultate exscreantur, ad oxymel scilliticum et refractam sulphuris aurati dosin transeundum.

Lieutaud in hydrope pectoris leves kermes mineralis doses commendat, quibus sputa gluti-

nosa, cum tussi inani occurrentia, dissolvi, et ad expectorandum apta reddi asserit; sed enim sulphur auratum spiritus angustias, tussimque irritam augere solet, itaque non convenit, nisi sputa glutinosa simul pectus gravent, quod interdum accidit.

Sæpe tussis adest inanis, ab aquis proveniens; tum vero infausto consilio bechica dantur et oleosa, quæ laxando fortasse, et debilitando solida morbum augent.

Certe hæc tussis nonnisi abactis aquis aut minuitur, aut tollitur.

De Haen minime parcendum ait purgantibus, sudoriferis, et diaphoreticis. Verum purgantia in majus discrimen adducunt ægrum; sudorifera autem et diaphoretica non conveniunt, quod ea anxietatem augent. Berolinenses testantur, funestum fuisse in hydrope pectoris sudorem arte excitatum.

Insomniis, et anxietatibus avertendis, male opiata adhibentur, cum somnum debitum non concilient, et inter ejusmodi somnos arte factos, adeo angatur spiritus, ut suffocationi propingui sint ægri, et, cum evigilant tam fracti viribus, ut præ languore pene animam agant.

Nunquam vidi, quod, ut Darvins refert in pulmonum hydrope oppressio pectoris per sudorem copiosum in capite et collo prorumpentem, levetur.

Morgagnius observavit, e scabie suppressa non raro hydropem pectoris gigni. Hinc, cum in ejusmodi casu oppressio pectoris, et respirandi difficultas notatur, abstinendum est a phlebotomia, videndumque sedulo, an non malum jam sero in pectus præternaturaliter collecto originem debeat.

Cl. Richard a) exemplum refert hydropis pectoris, a scabie repulsa orti, eademque revertente sanati. Possunt quidem hac in re prodesse camphora, flores sulphuris, antimonium, sed nihil his efficitur, nisi simul diuretica exhibeantur.

Unica fere in hydrope pectoris ad salutem via superest diuresis, ut longinqua experientia edoctus sum.

Pulveres, vel mixtura e scillæ extracto confecta sæpe cum successu exhibetur.

Cum extractum scillæ mollioris sit consistentiæ, ut specillo impositum exsiccari debeat, hinc facile aduratur, quidquam terrei addendum est, ut facilius in pulverem subigatur.

℞. Extr. scill. gran. x.

Lapid. cancror. scrupul. j.

Sacchar. drachm. j.

F. Pulv. dividatur in xiv. doses.

---

a) Richard de Hautesierek Recueil d'observations de Medicine des Hôspitaux Militaires, Tom. III. p. 319.

Sumat tertia, aut quarta quavis hora unam.

Quandoque levis hæc dosis pauco ab ea sumto tempore profuit, in aliis ex scillæ extracto dosis augenda erat.

Si eventus voto non respondet, scillam in substantia ad j—jj. grana pro dosi tentare licet. Ast raro juvat, ubi extractum scillæ non profuit.

Accidit quandoque, ut extractum scillæ aquosum, uno in pharmacopolio confectum nullam prorsus vim exereret, cum id ab alio pharmacopola petitum eidem ægro copiosam urinam cieret. Is, cum denuo ad priorem pharmacopœum rediret, parcam, ad alium vero denuo reversus, iterum copiosam urinam fudit.

An extractum ex vetusta marcida scilla paratum, an inspissando adustum fuit?

Ante aliquot annos Dux Boufort per aliquot annos tussi vexatus in respirationem summe anxiam incidit, febris erat valida, urina ex atro rubens, tussis inanis, expertissimus Medicus peripneumoniæ speciem arguens decoctum althææ, stipitum dulcamaræ, sed absque effectu exhibuit, in consilium vocatus, nescio, cur hydropem pectoris suspicabar, opinio mea tumore manus et faciei confirmabatur, continuato diureticorum usu integre restitutus vivit.

At cum plus scillæ, quam modo memini,

præbetur, vomitus et ventriculi, aut intestinorum inflammatio facile succedit.

Quod eo facilius fieri potest, cum in dissectis hydropicorum cadaveribus Listerus stomachum admodum extenuatum, ruboreque suffusum esse deprehenderit.

Multiplici experientia comperi, quod in ægris inflati habitus cum pulsu tardiore extractum scillæ, in illis quorum habitus strictior, pulsus celerior vibrat, vel ubi malum ex polypo, vel aneurismate cordis, aut vasorum majorum oritur, digitalis meliores effectus edat, in aliquibus idem remedium v. g. extractum scillæ efficaciam perdit, dato pulvere digitalis lotium largius fluit, et symptomata levantur; hoc quoque diutius usurpatum voto non respondet, sed iterum ad extractum scillæ redeundum erat. Ante aliquot annos cum egregio Medico de Türkheim ejus ordinario hydrope pectoris, ascita incipiente, anasarca et notabili viscerum duritie gravissima laborantem per tres annos mirum in modum levatum conservavimus; demum vomitu, et atrocibus ventris doloribus obiit.

A purgantibus quidem hydrope pectoris laborantes læduntur, sed si alvus omnino consistat, at vires constent, terram foliatam tartari superioribus addere convenit.

℞. Extr. scill. gr. xvj.
Terr. fol. tart. dr. jj—jjj.
Aqu. anis. unc. jv.
Syrup. de duab. q. s.

Sumat altera, vel quarta quavis hora dimidium cochlear.

Egregiam in hoc morbo vim habet terra foliata tartari, quæ aceti communis loco, e scillitico componitur.

In morbis cordis versus ultimam periodum sæpe volumen hepatis multum augetur a), datis solventibus et alvum moventibus malum augetur.

Nonnulli extracto scillæ sumto magnam salivæ copiam, velut a mercurio, sed absque faucium incommodo, felici eventu exscrearunt. Nec mirum, si saliva uberiore egesta leventur ægri, cum sit apud van der Monde: asciticum plurimis incassum remediis tentatis, hausto fumo tabaci, insignem salivæ copiam reddidisse, quæ tamdiu manaverat, donec abdomen detumuisset.

Præstantissimum quoque remedium ad hydropem pectoris sanandum, vel saltem palliandum est digitalis flore purpureo, securius in pulvere a grano dimidio ad granum integrum, ter, quater de die exhibetur. In infuso sæpe incuria pharmacopœi, vel etiam ægrum inservientis ni-

a) Corvisart. pag. 445.

mia dosi propinatur; infausto cum eventu ante aliquot annos id in nobili puella accidit, quæ paralysi unius lateris, altero fortissime convulso corripiebatur, respiratio erat summe laboriosa, sterterosa, abolitio sensuum, ut mortem instare putarem; debitis remediis adhibitis levabatur quidem successive, mansit tamen diu impotentia loquendi, habetudo, demum post longum tempus convaluit.

Cl. Wittering pulverem digitalis infusioni vel decocto antēponit.

Nonnunquam vertigo, obnubilatio sumta digitali oriuntur, hæc mala leviora sponte evanescunt; si vero graviora sint aut remedii dosis minuenda, aut ab ulteriori ejus usu desistendum est.

Dosin, quam Cl. Ferriar et Warren exhibuerunt, nostri non ferunt.

Si adhibitis his remediis intra paucum tempus vel urina non largius excernatur, aut si lotium quidem copiosius profluat, at spiritus ducendi labor, et anxietas non imminuatur, nihil quidquam profuturum est; nam tum hydrops saccatus est, et diuretica citius perimunt ægros.

Rara quidem felicitate ruptis his tumoribus aquæ in tracheam ferri possunt, sed sæpissime in thoracis cavum infortunato defluunt.

Cum vires sunt imbecillæ, et pulsus debi-

iis, inæqualis, præter pulveres supra commemoratos, sequens interdum mixtura levamen fert.

℞. Spirit. corn. cerv. dr. β.
Acet. scill. q. s. ad saturationem adde
Aqu. rutæ unc. jjj.
Syrup. flor. tunic. unc. β.

Sumat pro diversa natura et symptomatum ratione tertia, vel quarta quavis hora unc. semis.

Hac methodo nonnullos hydrope pectoris affectos sanavi; in aliis morbum palliando id consecutus sum, ut anxietatibus fugatis placide, et non raro subito occumberent.

Nullum vini scillitici effectum salutarem vidi. Plurimi male inde afficiebantur; nonnulli peribant, quorum cadavera ventriculum, et intestina inflammata exhibuerunt.

Quamvis respiratio liberior evadat, lotiumque uberius fluat, tamen minuendo dosin diutius continuanda sunt.

Demum diversa remedia nonnunquam propinanda sunt ad eradicandam mali causam, ut uberius ex capite de ascita patebit.

Qui pectoris hydrope affecti sunt, etiamsi ita valeant, ut sanati esse videri possint, decrescente, quod ante torosum erat, corpore, aut in priorem morbum recidunt, aut ex improviso intereunt. Schusterus, ut est in actis naturæ curiosorum, tribus hydropicis larga dosi scillam

propinaverat, bono ut videbatur eventu, sed omnes aliquanto post subito extincti sunt.

Nonnullos ægros tractandos habui, qui tussi inani enormiter noctes, diesque vexabantur, nec ulla ratione utrumvis in latus cubare poterant. Pulsus erat debilis, et celer; lotium modicum, spiritus tam ægre ducebatur, ut suffocationi propinqui viderentur, nisi erecti in sedili ab adstantibus assidue tenerentur. Ex quibus anasarca pulmonum arguebam; at cum remedia supra laudata nihil proficerent, ob irritam illam et vix silentem tussim remedium ex emollientibus et diureticis tentavi.

℞. Tarax. cum toto unc. jj.
Rad. alth. unc. j.
Coque per quartam horæ partem in aqua; adde
Flor. chamomill. dr. jj.
Scill. dr. j—jβ.
Liquirit. unc. j.
Stent per sex horas in digestione
Colaturæ unc. xv. adde
Oxymel. scill.
Syrup. alth. aa. dr. vj.

Sumat altera vel tertia quavis hora dimidium vasculum.

Unus ingentem seri limpidi copiam tanta cum euphoria ejecit, ut per sex annos sanus.

valensque superviveret, donec ileo ex hernia periret.

Alter anno integro dictum quotidie decoctum sumebat, eo cum levamine, ut et pedes circumire, et scalas ascendere fere absque molestia posset. Cum vero per diem abstinuisset, spirandi difficultas rediit, et urinæ profluvium dimminuebatur; sumto iterum decocto mox symptomata levabantur; dein amicorum suasu ad alterius opem medici confugit, qui cum modo expectorantia, modo purgantia adhiberet, brevi omnia in pejus ruebant, nec diu æger, ad quem moribundum denuo vocabar, superfuit.

Feminæ item hydrope pectoris una et ulcerosis pedibus laboranti medicinam feci. Morbus erat vehementissimus; extracto scillæ dato et largior urina excernebatur, et pedes non minus intra nychthemerum unam alteramve seri limpidi libram emittebant, quibus rebus integra sanitas perfecta fuit. Aliquot a morbo propulsato annis gravi illa peripneumonia corripiebatur; cujus debellandæ causa bis largam sanguinis copiam educendam curavi, neque hyprops rediit, nec sanitas illius in hunc usque diem tentata morbo fuit.

Aliam quoque ægram eodem morbo affectam tractavi, quæ licet pedes plurima aqua manarent, periit.

Neque sequens curatio prætereunda videtur:
Vir erat annos natus quadraginta obeso corpore, qui ex calculo ureterum dysuria laborabat, cui, quod inflammationem metuebam, venam aliquoties incidi jussi, tum decocta præbui, maxime emollientia. Verum inde non levabatur æger; quamvis enim calor, et humorum orgasmus deficeret, remansit nihilominus dysuria, cui pedum quoque tumor accessit.

Tertio morbi die livebat facies, pulsus vacillans, et inæqualis tangebatur, frigebat corpus, et præ angustia spiritus moribundus videbatur. In tanto discrimine pulveres ex scillæ extracto confectos, modico nitro, et dimidio camphoræ grano addito, exhibui, quibus sumtis et copiosum lotium cum viscido sedimento, et calculos exiguos reddidit, unde respirandi facultas primum, dein integra valetudo emanavit.

In hydrope pectoris vesicantia externe adposita, sero in cavum thoracis effuso minus juvant; majorem opem ferre possunt in hydrope vel potius anasarca pulmonum; in hoc mox sub initio morbi difficilior est respiratio, quam si serum in cavitate thoracis collectum sit. Respirationis difficultas in utrumque latus eadem est, commodius erecto corpore spiritum ducunt, facies tumidula, pedes circa malleolos aliquantulum tumentes, pulsus sup-

pressus, debilis, præcessit victus debilitans, habitatio loci humidi, frigidi a).

Fatetur tamen cl. vir rarius hydropem pulmonum in cadaveribus reperiri, partim quod idem morbus, si pertinax fuerit, facile rupta tali vomica in thoracis hydropem transeat.

Cum nulla quidquam remedia prosunt, et aqua in alterutro pectoris cavo stagnat, paracenthesin tentandam esse, jam Petrus Salius et Guido Patinus censuerunt. Si in cavo pericardii aqua hæret, pertundendum illud esse docent; si sub sterno accumulata sit lympha, perterebrationem commendant.

Verum e superioribus constat, incertam esse diagnosim, nec raro contigit, ut paracenthesi instituta, pulmones adnati vulnerarentur nulla educta aqua.

Sunt autem adeo frequenter pulmones adnati, ut Diemerbroeckius existimet, tertiæ id, aut certe quartæ hominum parti accidere vulgo solere.

Riolanus, qui trepanationem laudat, tamen ei parum fidere censendus est, dum ait: satius etiam est, anceps remedium experiri, quam nullum.

Morgagnius diutius expectandum esse putat, neque tam propere ad curandum hunc morbum

a) Simson med. Essay. Vol. V. Part. II. p. 627–628.

adhibendam esse terebrationem sterni, et pericardii perforationem, cum ars nondum eo perfectionis progressa esse videatur, ut id certissime et evidenter dignosci queat.

Cl. Olaus Acrel nihil auxilii in paracenthesi esse credit, nisi ipse exuberantis liquoris fons obturari possit. Cum vero aliqua felicis exitus spes effulget, tum eam non eo, quo passim solent, loco, sed intra sextam, et septimam costam, ab ima facto computu, æquali inter sternum et vertebras intervallo instituendam esse cum Scharpio censet.

In hydrope pericardii Ill. Senac a) sequenti methodo paracenthesin administrandam esse præcipit. Thorax in sinistro latere inter tertiam et quartam costam duorum pollicum a sterno intervallo acu cannulata ita pertundatur, ut apex oblique versus originem cartilaginis cruciformis et proxime ad costas dirigatur; sic enim cavebitur, ne vel cor, vel pulmo, aut arteria lædatur.

Dum vires pene prostratæ sunt, abstinendum ab operatione.

At ubi manifesta fluctuatio observatur, jamque remedia omnia, quæ huic morbo accomodata habentur, incassum cecidere, institui paracenthesis denique poterit; si modo signa mortis nul

---

a) Traité de la Structure du coeur Tom. II. p. 365—6

la adsint, reliquæ corporis cavitates collecto hoc præter naturam seroso latice liberæ esse videantur, id quod in similibus e sententia Mackbride rarissime accidit a); quod si inter paracenthesin æger non langueat, omnis uno tractu aqua educi poterit.

Scarificatio pedum in anasarca pulmonum plus utilitatis habere poterit, tumque præferenda videtur cortici mezereo, cum ab ejus applicatione pejora ulcera nascantur.

---

a) Systematische Einleitung in die Arzneykunst. 2 Th. S. 942.

Caput XXXII.

De Ascita.

Morbus hic nonnullis familiis ob vitium hepatis hæreditarium frequentior est.

Quandoque hysteriam sequitur, quandoque eam observante Cel. Richter comitatur.

Nonnunquam tympanitis ascitæ jungitur.

Ascites initio haud facile discernitur, cum vix ulla, aut levissima solum fluctuatio percipiatur; quin Duverney junior hanc ne provecto quidem morbo propter nimiam integumentorum densitatem et crassitiem semper animadverti testatur.

In actis academiæ Parisinæ et apud de Haen a) casus occurrunt, e quibus intelligi possit, quam facile viri ceteroquin exercitati fallantur.

Signa diversi hydropis abdominalis, itemque notas, quibus hic ab hydrope uteri, et ovariorum, denique a graviditate distinguitur, apud Ill. van Swieten, de Haen et Rœderer b) reperias.

a) Tom. IX.
b) Elem. art. obst. p. 61.

In hydrope peritonæi utplurimum tumor abdominis in una parte notabilior est, nec mutato corporis situ mutatur.

Multi causam proximam cujuscunque hydropis in viscerum, ac totius corporis laxitate collocant. Vogel multo verosimilius in peculiari quodam vasorum arteriosorum, venosorum, aut lymphaticorum lanquore ponit, cum multi cachectici ab hoc morbo immunes sint, et plures hydrope saccato laborantes per longius tempus omnis cachexiæ expertes vivant.

Plurimæ sunt ascitæ causæ. Primum plethora vasis nimium resistens; hinc feminis post quinquagesimum annum, cum menstrua fluere desinunt, familiarior hic morbus.

Post peritonæitidem nonnunquam morbosæ concretiones a lympha coagulabili nascuntur, ex quibus hydrops oritur.

Frigida deinde æstuantibus visceribus ingurgitata; id quod in messoribus, et iter facientibus observatur.

Appiano teste Antonii milites post longam, præcipue vini inopiam, dum aqua se affatim replevissent, hydropicis, cæliacisque morbis laborare cœperunt.

Cl. Askow hydropem observavit, dum partes genitales aqua frigida lavabantur.

Strenuum potatorem novi, qui ex medici con-

silio a vino abstinuit, sed brevi hydropicus periit.

Si æstu invalescente sitis aqua extinqui non possit, spirituosa admiscenda sunt. Bontius quoque auctor est, mercatores per deserta Arabiæ in Persiam aut Turciam iter agentes summis caloribus sitim hausto spiritu vini, aut vino fortissimo facile sedare, contra, si aquam bibant, in cachexiam et hydropem incidere.

Tumores item carnosi, steatomatosi et scirrhosi venam cavam, aut viscera abdominalia comprimentes ascitam generant, etsi interdum gravissimi scirrhi absque ea reperti fuerint.

Nonnulli tumores in abdomine per plures annos impune gerunt; novi feminam, quæ abdomen per quadraginta annos multis tumoribus obsitum absque notabili incommodo gerit.

Multi quoque ex spirituosorum abusu hoc morbo laborant. Contra podagrici et potatores, si, cum spirituosis ante usi essent, aquam solam deinde bibunt, hydropici evadunt.

Diæta vegetabilis viam sternere hydropi asseritur; mirum, quod in viginti tribus annis, quibus Carthusianorum medicus fueram, nullum hydropicum viderim, quamvis plurimi pallidum faciei colorem ostenderent, corpus vix exercuerint, et ex religione nunquam carnibus vescerentur.

Denique nimia solventia in obstructionibus inveteratis adhibita; intempestivus martialium usus in hypochondriacis; salivatio, sudor, purgatio intensior cum diæta tenui in curandis venereis ascitam afferunt. Item, si in scabie, aut aliis eruptionibus cutaneis nimia purgantia exhibeantur.

Verum inter præcipuas hydropis causas uti Hoffmannus a) observavit, animi est ægritudo, atque anxietas referenda, cujus tanta est vis; ut omnem visceribus, fibrisque motricibus vigorem, tonum, ac robur adimat, sanguinisque languidiorem circuitum, et excretionum suppressionem efficiat.

Hydropem et gravem esse morbum et paucis parcentem, cum Hippocrates, tum experientia quotidiana docet. Universim tamen eo facilius curatur, quo plures in ægro vigent corporis functiones.

Hydropem sub typho quandoque minui, quandoque disparere, sed post typhum redire refert ab Hildebrand, quod mihi nondum observare licuit.

Difficulter omnes morbi chronici graviores curantur, tum ob pertinaciam causæ sæpe omnino vix eradicandæ, tum ut Aretæus monuit, la-

---

a) Tom. III, C. XIV.

borantes æquo animo ferre usque ad finem non sustinent, quin etiamsi æquo animo sustineant, in nimis longa diæta delinquant.

Pessima signa sunt: febris lenta, oris fœtor, hæmorrhagiæ, tabes increscens, lethargus, purpureæ aut lividæ cutis efflorescentiæ, sitis intensa; sed inquirendum, utrum ista a victu sicco, aut calidis medicamentis, an ab ipso morbo oriantur.

Bulimia hydropi et aliis morbis chronicis superveniens potissimum funesta est.

Aretæus asserit, scirrhos in liene genitos discutionis difficillimæ esse; quod si ab his hydrops oriatur, sanationem sperare non liceat.

Ubi post purgationes ascites augetur, vel cedens medicinæ denuo revertitur, plenus periculi est.

Malus quoque, qui subito crescit, quoniam vasa lymphatica rupta esse demonstrat. Negat id fieri Monroo, etsi innumeris exemplis comprobatum sit, vasa multo his majora humano in corpore rupta esse.

Celsus pro secundæ valetudinis indicio habet, si plus aquæ urinis excernitur, quam potu hausta sit; verum in pessimis quoque hydropibus plus interdum ægri mingunt, quam bibant, intumescente perpetuo abdomine.

Prodest alvus aquosa sub initium morbi ad-

veniens; sed, uti Nicol. Piso a) notat, res in extremo sita est, cum infirmis viribus alvus fluere, ac velut concretus ex ea sanguis dejici cœpit, aut cum urina in diversis matulæ regionibus varios colores exhibet sic, ut infima rubescat, superior livida sit, aut contra.

Hippocrates periculosissimum pronunciavit hydropem ægris, quibus alvus fluida, cum hanc cito mors subsequatur.

Ulcera asciticorum metum præbent gangrænæ, quamvis ægri interdum sanati sint, si copiosum per ea serum eductum esset. Sed eventum tam felicem vix a diuturno morbo gravibusque symptomatibus stipato expectes.

Ubi in hydropicis causa cachexiæ detegi non potest, scirrhum in visceribus latentem suspicari licet, qui morbum prorsus insanabilem efficit.

In scrophulosis sæpe glandulæ mesenterii scirrhosæ sunt.

Ascites suppurationi internæ junctus fere lethalis est, neque tamen omnino desperandus. Memini ego, nec sine magna animi voluptate pluribus abhinc annis in S. Leopoldi suburbio pistoris uxorem phthisicam, quæ, dum uterum gereret, ascita gravissimo laborabat, adeo feli-

---

a) Oper. med. pag. 682.

citer a me sanitati redditam, ut editis postea aliquot partubus sana et vegeta pluribus annis vixerit.

Vir in servitio aulæ cæsareæ ex hœmoptoe sæpius repetente phthisicus, anasarca, hydrope pectoris et incipiente ascita corripiebatur, per aliquot menses suffocationi proximus, noctes in sedili transegit; demum ex pedibus copiose aqua effluxit sine multo levamine, dato extracto scillæ, infuso ex polygala amara et liquiritia emendabatur; demum decocto corticis et polygalæ contra omnem spem integre convaluit; at sequenti anno violentissimo saltu exæstuans, frigido aëri se exponens peripneumonia obiit. Tractavi aliquos eodem modo sed levius affectos, verum in nullo felicem eventum habui.

Hippocrates a) salutarem censet hydropem, qui maniæ accedit; sed multo id frequentius nullo prospero eventu observatur, cum hydrops in maniacis facile ex purgantibus drasticis, diæta tenui, et largioribus venæ sectionibus iteratis nascatur.

Baglivius auctor est, arthritidem hydropi recenti supervenientem, eum tollere. Id forte tum accidere potest, cum ex arthritide suppressa morbus oritur.

Difficilius plerumque curantur, multoque

---

a) Coac. & Aphorjs. V. Sect. VIII.

facilius in eundem morbum recidunt excelsiore statura homines, idque ob majorem, uti Clar. Grunner a) notavit, solidorum inertiam atque imbecillitatem.

Pessima multorum animis eaque præjudicata opinio insedit: ascitam morbum esse laxæ et inertis fibræ. Quare nullo discrimine facto stimulantia, spirituosa, et calida remedia commendant, quæ tamen adhibita tristes sæpe exitus habuere.

Secundum Horstium et Sponium largo potu, sero lactis, et misso sanguine curandus quandoque est hydrops, qui aliis medicamentis axasperatur.

Cl. olim hujus universitatis professor Sorbait imperavit, ut hydropicorum cibus sit calidus, exsiccans in causa frigida, in converso autem in calida b).

In hydrope ex menstruorum et hæmorrhoidum suppressione, quod quidem rarius accidit, venæ sectio commendatur; hæc initio morbi viribus adhuc constantibus, in subjecto plethorico tentari poterit, in progressu perniciosa foret.

Magno judicio opus est, cum venæ inflatæ, genæ utcunque coloratæ fallax sint indicium.

---

a) Semiotic. p. 540.

b) Prax. med. pag. 157.

A nonnullis vomitoria ab Avicenna laudata in ascita commendantur, quæ præcipue, si antimonialia sunt, suadent quoque Boerhaave et Pringle in hydrope post febres exorto, ut omnia abdominis viscera concutiantur, et tremula gelatina fluidior, resorptionique aptior reddatur; sed tum vires oportet esse firmas, integra viscera, et abesse dolores abdominis, ne validis concussibus labefactata viscera rumpantur. Testatur Lieutaud, ejusmodi ægros animam inter vomendum exhalasse. Hinc cum Gortero emeticum raro propinandum censeo.

Ubi in hydrope universalis laxitas systematis lymphatici vel infirma viscera existunt, emetica damnat Cl. Selle.

Cl. Sagar asserit, plures hydropicos tartaro emetico tertio quovis die mane dato, funditus a se curatos esse, cum obstructionibus viscerum in morbo præsertim recenti, dum firmæ sunt vires, solvendis plus serviat unum emeticum centum dosibus purgantium; eadem tamen pagina a) negat, se emeticum dedisse, ubi notabilis obstructio, aut induratio unius alteriusve visceris observabatur.

Hydrope ovariorum incipiente tentandum emeticum foret, cum is teste Percival nonnunquam

---

a) System. morb. sympt. pag. 163.

sponte orto vomitu curatus fuerit. Fortasse concusso abdomine serum per tubas Fallopianas, ovario adhærentes, ad uterum delatum, indeque egestum est.

Apud Bartholinum, Burnetum, et Willisium exempla reperias ascitæ vel spontaneo, vel medicamentis excitato sudore curati. Comes ab Ostermann gravissime hydropicus largo admodum sudore pedum levabatur, qui deinceps continenter fluens eum per viginti annos liberum a morbi reditu servavit; calceis propterea utebatur ita conformatis, ut defluens humor receptaculo quodam reciperetur, in quo sine ullo incommodo per aliquot horas permanere poterat. His successibus inducti medici sudorifera, pulverem Doveri, et alia stimulantia, ac spirituosa præbuerunt. Lieutaud a) tamen non fidit sudoribus per medicamenta interna excitatis, plusque ab iis sperat, qui aëre tepido, sudatoriis, balneis siccis, sale, arena, furfure, solis radiis, vel furno exprimantur.

Damnant sudoriferorum usum Raymundus, Fortis, Nicolaus Piso, Berolinenses b) Fridericus Hoffmannus c) cum ascitici difficulter ad sudorem disponantur, et e regimine calido, atque volatilibus remediis febris major, metastasis ad

a) Pag. 97.
b) Vol. XVI. pag. 38.
c) Med. syst. Tom. IV, Part. IV. pag. 452.

partes vitales, suffocatio denique aut affectiones soporosæ sequantur. Præcipue vero cum abdomine immaniter tumente fluidum, quod per vasa adhuc circumducitur, ante expelletur, quam diaphoretica in lympham extra vasa stagnantem agere valeant.

Multi curam ascitæ inchoant, purgantia drastica præbendo. At Ill. van Swieten parum a fortioribus purgantibus expectat, cum provectior est hydrops, aut difficiliores ejus causæ.

Vetat nunquam satis celebrandus Sydenhamus infirmiore corporis habitu ægros, aut feminas vaporibus obnoxias validis purgantibus vexari, et latinissimus Celsus a) perniciosas ait purgationes, quæ nimis valentibus pharmacis fiunt; hinc cibo, quam medicamentis moliri alvum maluit.

Maxime obsunt drastica hydropi e nimiis evacuationibus velut hæmorrhagiis, aut diarrhœis orto; vel ubi scirrhosæ viscerum obstructiones adsunt, de his valet effatum Meadii b): quo plus humoris e corpore ejicitur, eo major ejus copia brevi in cavitates refluit.

Prodesse fortiora purgantia tum poterunt; cum ægri glutinosis humoribus abundant; cum

a) L. I. C. 3.
b) Monit. med. C. VIII.

farinaceis abusi sunt, aut loca inhabitant paludosa, ut nimirum aquis egestis minus ureteres comprimantur, viaque commodior diureticis remediis paretur. Sed hic cum vires ægri, tum febris ipsa consideranda; illis labefactatis sæpe cum aquis animam reddidere ægri; hac intensiore facile e drasticis purgantibus inflammatio succedit.

Ante plures annos ignarus balneator hydropico salis mirabilis loco sex drachmas salis tartari in libra aquæ propinavit; inde copiosæ alvi excretiones, et largissimum urinæ profluvium cum maximo levamine sequebatur.

Brocklesby a) fortissima in hydrope purgantia e jalappa et gummi guttæ præscribit, monet tamen hasce doses militibus exercitatis potius, quam desidiosis urbium inquilinis convenire: nec continuandas purgationes esse, cum partes solidæ multum debilitatæ sunt.

Frequenter olim propinabatur gummi guttæ; Cl. Heuermann viginti tria grana cum helleboro nigro dedit, quæ dosis merito Lipsiensibus nimia videtur. Löseke, Lindanus et Trillerus infaustos hujusmodi remedii fructus enumerant; Joannes Sitorus Mediolanensis b) gummi guttæ usum in majore Xenodochio jam octo abhinc an-

a) Pag. 233.
b) Miscell. Nat. Cur.

nis abolitum esse refert, cum securiora multo remedia in promptu sint.

Tum igitur conveniens solum videtur, cum integris visceribus, nec viribus nimium fractis humores abundant glutinosi, atque tenaces; nam Hallerus observavit, injecto in venam gummi guttæ tenuem ex ano liquorem stillasse, sanguinemque mesentericis in venis solutum fuisse.

Decocto sequente cum fructu usus est Ill. Baldinger a). Coquitur gummi guttæ aqua, sensim instillato oleo tartari, quod vim drasticam purgantem mitigat. Remotum ab igne atque refrigeratum, si guttatim deinde præbeatur, per vias urinæ aquas evacuare solet, et larga nonnunquam excretione et critica.

Hydragoga partitis vicibus exhibere consultum est, cum quibusdam etiam majore dosi, sed semel duntaxat sumta vix alvus moveatur, in aliis vero ex eadem hypercatharsis, aut alia gravia symptomata nascantur.

Si purgantia fortiora poscit morbus, pulveres, aut electuaria pilulis præferenda sunt; hæ etenim, cum primæ viæ nimium exsiccatæ sunt, minus solvuntur.

Sequens electuarium cum strenue purgat tum inflammationis metum minorem injicit.

a) Pharmacop. Edimburgr pag. 270.

℞. Roob ebuli.
— Juniperi aa unc. j.
Oxymell scillit. unc. β.
Rad. jalap. drach. jj.
Arcan. dupl. drach. j.
Syrup. de spin. cervin. q. s. ut f. electuarium.

Sumat sæpius drachmam donec purgetur.

Aestivo tempore electuaria, cum facile fermentent, in minori quantitate præscribenda sunt.

Ubi resina v. g. jalapæ propinatur, ea saccharo terenda, vel spiritu vini solvenda erit, ne ob tenacitatem tunicis intestinorum adhæreat. Commode item teste van Swieten aliquantulum aromatis additur, ut tormina arceantur.

Cum sumto purgante resinoso dolores existunt, ovum sorbile, itemque absente febri vinum hungaricum profuerit.

Quandoque post purgationes validiores, contractis intestinis coërcetur aër, unde spasmi oriuntur, et increscens abdomen fere, ut in tympanitide, percussum resonat. Huic malo unctiones ex unguento calendulæ, oleo laurino et camphora extra adhibitæ, intra opiata cum carminativis sumta levamento sunt.

℞. Aqu. menth. unc. jj.
Elix. stomach. temper. dr. β.

Laud. liquid. Sydenh. gutt. XIV.
Elæosacchar. menth. dr. j.

Sumat omni dimidia hora unciam dimidiam, donec symptomata remittant.

Interdum sumto drastico diarrhœa sequitur, vires atterens et vitæ terminum accelerans. Artis erit prohibere, ne humores nimia vi in intestina ruant.

Si vires collapsæ sunt, pulsusque imbecillius micat, mixtura ex cortice peruviano, radice colombæ, aqua menthæ, vino etc.; si vero evacuationes urgeant, mixtura opiata mox memorata propinanda est.

Ubi sitis vehemens et pulsus celerior, cautissime cum opiatis agendum. Quæ sequitur mixtura, magis convenit.

℞. Cort. peruv. dr. vj.
Gumm. arab. dr. jj.
Aqu. flor. rhœad. lb. j.
Spirit. vitriol. gutt. xvj.
Syrup. Diacodii q. s. ad gratiam.

Sumat singulis horis, aut altera quavis hora unciam dimidiam.

Abstinendum ab acidis mineralibus, dum majoribus ægri doloribus vexantur, ne intestina, muco abraso nudatiora, nimium irritentur.

Tenesmus, aut acerbiora tormina decoctum salep, salicariam et clysmata demulcentia poscunt.

Felicius ascites diureticis debellatur. Invenias quidem apud auctores exempla hydropicorum pulvere Doveri, opio, aut semine sinapi devorato, vel etiam viridium genistæ summitatum infuso sanatorum; sed sicut remedium, quod ægris quibusdam nil profuerit, damnare haud convenit, ita ob unum alterumve successum magis prosperum idem non temere et universim commendandum est.

Fatetur candidissimus Sydenhamus, se hydropem sæpius ope syrupi ex spina cervina parati sanasse; inde fiducia plane juvenili in animum induxisse, teneri a se medicinam, cuivis hydropi sanando aptam, ac sufficientem; sed paucis post hebdomadis erroris damnatum, cum feminæ ex quartana hydropicæ eundem syrupum aucta dosi incassum, et nullo fructu præbuisset, quæ tamen alterius medici cura, aliisque medicamentis sanitati omnino restituta fuit.

Complures ante annos asciticum vidi, cui a peritissimo Archiatro Kessler optima remedia frustra adhibebantur; demum, ut ne nihil agere medicus videretur, roob sambuci exhibuit, unde secuta copiosissima urinæ excretione æger integre convaluit.

Putat Lieutaud, conducere asciticis lotii promovendi causa usum cantharidum, a quarta grani parte ad granum unum aut alterum progredien-

do. Quin et Diascorides, et ante bina fere sæcula Ulricus Rumlerus cantharides hydropicis adhibuerunt. Ex ephemeridibus a) quoque constat, in Hungaria adversus hydrophobiam exhibitos fuisse cantharides, sudore copioso, et urina absque omni dolore succedentibus; ego vero in hydrophobis, quibus contharides exhibebantur, contrarium observavi. Galenus binorum casuum meminit, ubi cura cantharidibus infeliciter tentata est. Cl. Plenk b) noxium eorum usum internum vidit: Ill. Piquerius c) a cantharidibus ad mentem Lieutaud præbitis urinam retineri potius, quam promoveri usu didicit. Ipse etiam Lieutaud eadem, qua cantharides laudat, pagina d) eos acerrimum medicamentum esse pronunciat, et demulcentibus temperandum, quod sæpe stranguriam, aut mictum cruentum inducat. Hinc cum Cl. Ludwig e) cantharidum usum dubium esse censeo, cum frequenter spasmum urinæ viarum stimulo suo efficiat.

Iidem plurimum nocerent strictioris fibræ hominibus, quibus humores nimium attenuati sunt, aut in putredinem abire occipiunt; tamen

---

a) Decad. I. Ann. 1617 observ. 113.

b) Mat. med. pag. 338.

c) Tom. II. pag. 208.

d) Pag. 839.

e) Therap. general. pag. 133.

aliis remediis nihil quidquam proficientibus, tentari queunt in ægris pastaceo habitu, qui farinaceis abusi, siti, et calore carent.

Dum ascitico frigidæ temperiei ad nosocomium generale delato, qui apoplexia primum, dein paralysi dextri lateris correptus erat, eam ob rem tria vesicantia adplicabantur, majus inde consecutum est urinæ profluvium, quam e remediis omnibus, quæ morbus postulare videbatur, exhibitis. Quæ dum continuarentur, ascitæ curatio felicius effecta est.

Puer quatuordecim annorum gravissima ascita et anasarca laborans in nosocomium deportabatur, remedia appropriata urinam non ciebant, increscente indies malo jussi, ut vesicans abdomini imponatur, per vulnus copioso sero effluente remediis amaricantibus et diureticis largissimum urinæ profluvium sequebatur, hisce diu continuatis, et ad finem porrectis roborantibus cum aromaticis integra sanitas rediit.

Cum Meloe Proscarabæus Linn. mitius ac cantharides agere videatur, eum in hydrope cum roob sambuci mistum tentavi, et aliquoties cum successu propinavi.

Inter alios gravissimum asciticum intra biduum diuresi indesinente sanavi, in pluribus tamen optato eventu carui, quin imo dolorifica inde et parcior urinæ secretio, sitis, fauciumque

ariditas consecuta, demulcentibus, et mucilaginos adjuvanda fuit.

Exhibitis tamen frustra laudatis remediis, si vires constent, pallidam urinam mingat æger, pastacei sit habitus, febris absit, nec sitis urgeat, debita cum cautela tentari poterunt; multa enim in præcipiti periculo recte fiunt, alias omittenda præcipiente Celso.

Nec commendari millepedes merentur, qui, uti a) Cartheuser investigando observavit, præter plurimas inertes, teneras, et mucilaginosas partes principio salino, nec fixo alcalino, neque nitroso, sed nonnihil volatili urinoso constant, quod admixto vino rhenano aut austriaco penitus destruitur, et in sal neutrum ammoniacale, nullius ob exiguam sane quantitatem præcipuæ virtutis, convertitur.

Succo etiam multo vilior est pulvis e siccatis et contritis millepedibus paratus, neque ad solvendam crassiorem pituitam valet.

Nitrum, quod in remediis urinam pellentibus censetur, non convenit asciticis, quibus laxior habitus, humores soluti et vires ventriculi depressæ sunt.

Omnibus diureticis longe scilla antecellit, quæ et rubra et alba est, illam efficaciorem reperit Ludwig b).

---

a) Pag. 102.

b) Advers. med. pract. Vol. II. P. IV. p. 700.

Præfertur radix exsiccata, cum decoctum recentis ob ingratum et nausea plenum odorem ægri respuant, et succus e recenti commode exprimi nequeat, quamvis tunicæ succulentæ cum aqua, vel aceto diu terantur. Jubet vir supra laudatus, tunicas discerptas in pastam farinaceam impingere, ut subito exsiccentur, cum sic integris viribus diu conservari possint, sed mihi leni solis aut clibani calore exsiccatæ præplacent, cum multæ priore illo modo vires pereant.

Monet Cartheuser, pulverem contusum etiam in vasis probe clausis conservatum, efficaciæ semper aliquid amittere, quare satius ducit, recenter contuso pulvere uti. Ad extractum tamen parandum scilla recens præferenda videtur.

Dosis ægris et symptomatibus accommodanda est.

Van Swieten eam probat, e qua levis sequitur nausea; tum enim certus erat de diuresi futura; si vero vel vomerent ægri, vel nullam omnino nauseam sentirent, non tanta secernebatur urinæ copia.

Ego tum efficacissimam sensi, cum nulla ægros nausea vexaret.

Oxymel scilliticum largius propinatum urinam movet; convenit ægris strictiore habitu, quorum pulsus celerior est, aut sitis intensior; prodest præcipue, cum ascites ab obstructione hepa-

tis, hæmorrhoidibus suppressis, aut febribus cito nimis profligatis ortus est.

Ad oxymel scilliticum parandum mel purum sumere oportet, cum despumatione multæ activæ scillæ partes perdantur.

Quandoque mobiliori systemate nervorum præditi mellita non ferunt, sed inde spasmodicis affectibus corripiuntur, iis oxymellis scillitici loco syrupus scilliticus Nro. 29 propinandus.

Cullen sal neutrum scillæ addendum esse putat, ut ejus virtus magis ad renes disponatur, sed eadem pagina monet, quod calomel cum scilla propinatum facile diuresim impediat, cum magis ad alvum determinet; idem a sale neutro accidere posset.

Minus tuto scilla massæ pilularum additur, cum hæc quandoque non accurate misceatur, ut de dosi minus certi simus, sæpe exsiccatæ integræ per alvum secedunt.

Varia ad causam morbi impugnandam scillæ jungenda sunt.

Ubi fibra laxa, corpus pallidum, humores tenaces, vinum scilliticum commendatur. Incipiendum a minore dosi, ne subsequatur vomitus.

Ex numerosissimis asciticis vix unum, alterumve scillitico vino curatum vidi. Minore copia datum, vix lotium prolicuit: paulo largius

haustum vomitus et abdominis dolores ciebat, appetitumque delebat.

Aliqui vomitum inde sequendum proficuum esse putant, sed ut antea monui in ægris, quorum viscera valde debilia, vel obstructiones annosæ scirrhosæ, maxime nocua forent. Ante plures annos bini ægri, quibus in consilio vinum scilliticum commendabatur brevi doloribus abdominis validis subsecutis perierunt, licet dosim propositam multum imminuerim.

Plures hydropici renes inflammatos, nonnunquam suppuratos post potentiora diuretica exhibuerunt.

Sequens remedium multis hydropicis, præcipue ubi viscera abdominalia minus libera, allevamento fuit:

℞. Trifol. fibrin. vel
Cent. minoris unc. jv.
Calam. aromat. dr. jjj.
Scill. dr. β.
Rad. liquirit. unc. β.
Stent per 24 horas in digestione.
Colat. lb. duarum
Adde
Salis tart. scrupul. j.
Elæosacchar aurant. unc. j.
Sumat sæpius dimidiam unciam.

Ab extracto scillæ optimos effectus subsecu-

tos expertus sum, quod in pulveribus, vel in mixtura ab uno grano ad duo ascendendo pro dosi præbetur.

Rarius ab extracto, quam oxymelle scillitico anxietates nascuntur.

Interdum nil proficiente extracto, scilla in substantia a gran. j. ad jj. pro dosi data fuit.

Mead eam ad scrupulum semis exhibendam vult, sed inde vomitum, dolores abdominis immanes, mortem dénique ipsam subsecutam novi. Cadavera renes immunes, at ventriculum et intestina inflammata, et gangræna corrupta exhibebant.

Idem author haud sequendo consilio scillæ radicem ari jungit, namque hæc masticata fauces urit, et sitim generat vix extinguendam.

Nitrum passim scillæ additum inconveniens est, ubi alvus laxior, aut leucophlegmaticum, frigidumve corpus, aut vires infirmæ. Multo rectius, ac felicius hic granum camphoræ dimidium cuilibet pulveri scillitico admiscueris.

Ubi a scilla sumta ructus, flatusque ægrum vexant, uncia dimidia aquæ menthæ post quamlibet ejus dosim levamen adfert.

Vires ventriculi scilla debilitatas cortice firmare juxta sæpius Tissoti mentem a) oportet.

---

a) Pag. 207.

Minus recte Ludwig purgantia scillæ jungi vult; optato toties successu caruit scilla, quoties crebriores inde purgationes secutæ sunt.

Cum magni seu ventriculi, sive intestinorum dolores a scilla sumta observantur, desistendum ab ea, et ad demulcentia, velut decoctum salep confugiendum est.

Male consulunt ægro, qui ob tormina excitata laudanum addunt; mitigatis enim doloribus fallitur medicus, cum interea, dum scillæ usus continuatur, inflammatio, et gangræna succedat.

Optime animadvertit Bergius, minus convenire scillam ardente urina, pulsu indurescente, hepateque infarcto, nec multum ab hoc pharmaco expectandum, si non tantum in solidis roboris supersit, quantum ad evehendas urina aquas requiritur.

Urinæ loco sudoribus viscidis profuse motis levantur quidem ægri, sed malum recrudescit, et in anasarcam aut reliquas hydropis species abit. Hic scilla abstinendum monet Ludwig, cum inde solida nimium laxentur, corpusque eo citius ad cachexiam disponatur.

Si ægri nullo prorsus modo scillam ferre possunt, propinare oxymel colchicum ex re erit, cum nullam testante superlaudato Ludwig a) in nostris

a) Vol. II. P. IV. pag. 721.

pratis invenire sit plantam, quæ cum scilla ita, uti colchicum comparari possit.

Sæpius hoc remedium asciticis, sed frustra exhibui. Claræ memoriæ Henricus Collin, qui principio oxymel colchici pro efficacissimo hydropis remedio habuit, dein ad extractum lactucæ virosæ confugit.

Sunt tamen viri fide dignissimi, qui effectus prorsus salutares hujusce oxymellis in ascita observatos fuisse testantur. Vogel hydropem peritonæi stupendum oxymelle colchici sanavit, quin duplo majorem ejusdem e radice parati dosin, quam Ill. Störck præceperat, cochleari majori mane, et vesperi offerebat.

Si datis diureticis urina largius fluat, absque tumoris decremento, ab iis abstinere oportet; cum potissimum tumor cysticus lateat, et quo potentius urinam pellentia operantur, eo citius pereunt ægri.

Si post purgantia aut diuretica, id quod rarius accidit, aquæ subito evacuentur, abdomen fasciis constringendum est, ne humores in partem minus resistentem lethali impetu irruant.

Platnerus testatur, ægros, qui eductis per evacuantia omnibus aquis consanuisse videbantur, brevi post apoplexia extinctos fuisse.

Ceterum his roborantia ex amaricantibus, cortice peruviano et limatura martis maxime con-

gruunt. Corpus morbo superato satis roboratum esse, id juxta van Swieten indicio fuerit, si calor per totum corpus æquabilis diffunditur, si nulla ejus pars ab ingesto potu tumet, si denique in illis, quæ epidermidi subjacent partibus, velut in labiis et gingivis vividus color ac rubicundus enitet.

In multis asciticis morbus neque purgantibus, neque diureticis tollitur, aut, qui sublatus videbatur, brevi redit, nisi talia simul exhibeantur, quæ in causam morbi agunt, ad quam eradicandam variis opus est remediis.

Certe crescit — dirus hydrops
nisi causa morbi fugerit venis a)

In ascita post nimias evacuationes, v. g. diarrhœam, aut hæmorrhagiam moderatus corporis motus, si vires ferant, tum frictiones et roborantia cum amaricantibus, ut absynthio, cortice peruviano, aut limatura martis peropportuna fuerint.

Addi his lenia aromatica, ut calamus aromaticus etc. possunt, tum ad gratiam conciliandam, tum ad motum humorum aliquantum augendum; absynthium ponticum vulgari præponitur, quod magis aromaticum sit, et amaritie minus displiceat.

---

a) Horatius carm. Libr. I.

Quandoque in hydrope a nimio hæmorrhoidum fluxu latent viscerum obstructiones, tum martialia, quibus ægri admodum anguntur, inconvenientia forent, sed amaricantibus, interposito rheo, et si vires nimium fractæ sint, cortice utendum.

Ascitici ex obstructione hepatis aut lienis potissimum tussicula inani laborant, alvus tardior est, color faciei in flavescentem aut luridum vergit, ægri alimentis anguntur et urina flavescit; febres sæpius præcessere intermittentes vel præmature cortice profligatæ, vel ultra tempus relictæ, præcipue cum ægri humidis in locis habitarunt.

Iis, qui strictiore sunt habitu cum pulsu celeriore, majore siti, urina rufa et crasso ejus sedimento, cremore tartari purgandum est corpus, dein decoctum taraxaci, cichorei, saponariæ cum salibus mediis, et multo oxymelle scillitico locum habet.

Dosim determinant ægri vires, alvi tarditas et urinæ profluvium, sed calida stimulantia, imo et amaricantia obsunt.

Quibus ex obstructione viscerum natus est hydrops, qui pastacco sunt habitu, pulsu tardo, et corpore tactu frigidiore, iis, cum vires ferunt, lenia purgantia ex rheo cum sale medio primum præbenda sunt, ne a solventibus plus angantur,

dein ad amaricantia et incidentia transeundum, interposito extracto scillæ, si urina parcius fluat.

℞. Absynth. pont.
Trifol. fibrin.
Calam. aromat. aa unc. j.
Rad. liquirit. unc. β.

Infunde per 20 horas vino austriaco generoso. Colaturæ libræ jβ. adde

Salis tartar. dr. j—jβ.
Elæosacchar. anis. unc. β.

Quibus vinosa displicent, iis infusum aquosum ex prædictis addita solum minori salis tartari dosi conveniet.

Pringle in hydrope alcalina cum infuso amaro commendavit, quibus spiritum juniperi addit, quem, dum viscera abdominis obstructa sunt, minus congruere puto.

Garden olim cineres tabaci laudavit, quos Franklin quoque Lutetiæ celebravit, quamquam nihil hi præ aliis cineribus salem alcalinum fixum vegetabilem largientibus peculiare habere videantur.

In actis Haffniensibus asseritur, alcalina non profuisse in hydrope, nos prosperrimos prædicti infusi successus in Nosocomio experti sumus.

Alcalina nocent, cum humoribus solutis febris aut sitis urget, vel cum maculis corpus fœdatur.

Laudatur in obstructione hepatis chelidonium majus, quo Poloni adversus hydropem utuntur e nimio ardentium spirituum usu progenitum.

Propinantur exsiccatæ radicis duæ, recentis quinque aut sex drachmæ. Lange chelidonii extractum vinosum ad scrupulos jj. mire profuisse narrat in obstructione viscerum abdominalium et pulmonum infarctu. Ego sequentem mixturam quandoque felici, sæpe nullo successu exhibui.

℞. Extr. chelidon. maj. dr. j.
Liqu. terr. fol. tartar. unc. ß.
Oxymel. scillitic.
Syrup. de duab. aa unc. jß.
Aqu. anis. unc. jv.

Sumat tertia aut quarta quavis hora unc. semis.

Dosis pro diversitate ægrorum, aut symptomatum, vel augenda, vel minuenda est.

Lysons laudat calomel ad grana v cum purgantibus in ascita, ubi hepar obstructum est. Theodorus de Mayerne a) olim mercurium dulcem exhibuit; ego, cum idem experirer, non multum profeci.

Forte locum habere posset malo incipiente; at certe obest provecto, jam collapsis viribus et humoribus solutis.

a) Prax. med. Pag. 337.

In bello italico 1743 hydropicis militibus mercurius dulcis sed infausto sane eventu præbebatur. Lösecke mercurialia non prodesse putat, nisi e lue venerea perperam curata hydrops exstiterit, sed et tum magna opus fuerit circumspectione, cum ex mercurii quoque abusu hic morbus generetur.

Forestus icterum in hydropem abeuntem decocto aut succo marrubii albi sanavit. Vix quæquam huic remedio peculiaris inesse vis videtur, sed cum artis præscriptis non repugnet, tentari potest.

Oritur ascites quoque e febribus autumnalibus præpropere depulsis, sed frequentius ab iisdem diutius relictis, aut crebriore alvi purgatione. Hinc merito Werlhoff ineptam in febribus purgationem cachexiæ et hydropis matrem esse dixit.

Ejusmodi ægris hoc electuarium saluti fuit.

℞. Cort. peruv. pulverisat. dr. vj.
Calam. aromat. dr. jjj.
Oxymel. scillit.
Syrup de duab. aa q. s. ut fiat Electuarium.

Sumat sæpius de die drachm. j.

Apud frigidiores, qui farinaceis aut leguminosis abusi sunt, vel loca inhabitant humida atque depressa, calamo aromatico feliciter theriaca diatessaron substituitur.

Sæpius in idem malum ægro recidente et ad levem corporis motum glutinoso sudore vexato cortex cum marte, absentibus viscerum obstructionibus, proderit.

Sollicite inquirendum, an non quartana lateat, quæ nisi fugetur, hydrops non tollitur, hinc cortex largissima quantitate cum amaricantibus indicatur. Sequens remedium insignem vim habuit.

℞. Cort. peruv. selectiss. pulver. unc. j.
Rad. gentian.
Flor. sal. ammoniac. mart. aa dr. j.
Oxymel. scillit.
Syrup. de duab. aa q. s. ut fiat Electuarium molle.

Sumat tertia aut quarta hora drach. j—jj.

Si ægri loca incolant paludosa, vel in aëre nebuloso degant, addendæ huic electuario erunt duæ aut drachmæ tres radicis angelicæ.

Post quamlibet dosim corticis hauriendum est infusum amarum, secus is diu in primis viis insolubilis hærebit, notante Percival.

Idem in subtilissimum pulverem redigendus est, qui teste Bergio vix stomacho molestiam creat.

Qui febri profligata, et viribus invalescentibus perstat hydrops, infuso aquoso aut vinoso

ex amaricantibus, juncto sale tartari impugnandus est.

Triplicis generis est vinum austriacum, primum leve, quod nec acre, nec admodum acidum in campestribus crescit; alterum acre et diureticum collibus innascitur: tertium valde adultum et defæcatum, olei instar mite, sed valde spirituosum est, et vix lotium pellit.

Rarius a menstruis suppressis ascites oritur; quod ubi accidit, si ægra plethorica est, si viribus valet, si recens morbus cœpit, venæ sectio indicatur, jam a Galeno commendata.

Intempestiva sanguinis missio teste Tralliano in aliis periculum, in hydropico autem mortem inducit.

Fallax plethoræ signum venæ sunt magnæ, et inflatæ, pluribus alioquin asciticis familiares.

A vena secta mixtura præbenda est ex roob sambuci et ebuli, oxymelle scillitico, et salibus mediis.

Ubi ex pallido flavescens est corporis habitus, urina mucosa, vel ubi chlorosis præcessit, pilulæ tonicæ Baccheri, aut sequentes servient.

℞. Extr. trifol. fibrin. unc. β.
Gumm. ammon. dr. jj.
Extr. myrrh. aquos. dr. j.
— hellebor. nigr.
Mass. pilul. Rufi aa dr. β.
F. pilulæ gran. jjj.

Sumat ter per diem quatuor aut sex non neglectis amaricantibus, scilliticis, atque frictionibus.

Mylius in basilica chemica helleborum nigrum contra hydropem commendavit, et Ser. Samonicus cecinit, helleboro quoque purgatur lymphaticus error a).

Frictiones multis prosunt asciticis, sed leniores, præcipiente Celso. Eas oleo amygdalarum adhibito fieri Raymundus Fortis b) voluit, ac nuper iterum Ill. Störck. Non sine fructu aliquantum spiritus cornu cervi admiscetur; verum abstinere a frictionibus oportebit, cum abdomen immanius tumet, cum dolet tactu, et cutis nimium tenera est.

Si aquæ nulla ratione educi queunt, paracenthesis instituenda est. Extant exempla hydropum periculosissimorum hoc modo sanatorum.

Neque tamen cito nimis tentanda ea est, ne partes peritonæo adjacentes lædantur; neque serius etiam, ne viscera nimium ab aqua arrodantur.

Valet hic præceptum supra dicti Fortis Leopoldi Augusti Archiatri c) : paracenthesis tum facienda est, cum vires valent, cum morbus est recens neque multa æger febri laborat, cum ne-

a) De medicina præcepta.
b) Consult. et Respon. pag. 232.
c) Pag. 333.

que in visceribus scirrhus hæret, neque eadem aquis corrupta sunt; tamen morbo jam provecto et obstructis visceribus instituenda etiam atque repetenda nonnunquam erit, ut enormis anxietas, et metus suffocationis dematur.

Damnatur in hydrope cystico et peritonæali paracenthesis, sed sæpe signa fallunt, et aqua educta saccus majori libertate gaudet. Feminam Expertissimus Medicus Kleiner hac hydropis specie adfectam tractat, cui ob dolores abdominis immanes, et pectoris angustiam quinquaginta septem vicibus paracenthesim instituit, post operationem per tempus sat commode vivit.

In gravidis Angli feliciter paracenthesim instituerunt a).

Ast ubi abdomen dolet, non quod aquis distentum sit, sed quod corrosionis sensum præbeat, aut ubi ascites ex vomitu cruento natus est, eadem operatio mortem accelerarct.

Hydropici ex spirituosorum abusu eductis aquis citius pereunt.

Potest in utroque latere paracenthesis suscipi; cum tamen scirrhus magnus, aut venæ cutaneæ varicosæ deprehenduntur, in opposito id tentasse præstabit, quod et æger et circumstantes facile hæmorrhagia terreantur.

---

a) Med. essai. Tom. V. P. II. pag. 644.

Si uno in latere minor, quam in altero fluctuatio observatur, signum id visceris indurati est in hoc latentis. Color faciei flavus utplurimum hepar adfectum: lividus, aut plumbeus splenem obstructum indicio prodit.

In ascita sæpius viscera mole majora et indurata sunt, quare cavendum, ne acu lædantur, quod Schmuckero id candide fatenti, accidit.

Si per vires licet, uno ductu aquæ extrahendæ sunt, quod relicta in vulnere cannula, uti van Swieten observavit, in ejus ambitu inflammatio nascatur, vel ea ablata vulnus brevi concrescat, aut certe ita contrahatur, ut sine vi denuo inseri non possit.

Interea dum aquæ effluunt, debili ægro vinum vel jusculum propinandum: at si inde non levetur, ab ulteriore seri emissione desistendum est.

Feliciorem prognosim præbent aquæ eductæ, cum citri colorem præseferunt, cum submucilaginosæ, et subsalsæ urinam redolent; quo magis ab hisce indiciis discrepant, eo gravius periculum minatur Duverney observante.

Hoc statu morbi tam antipiti aquæ loco nonnunquam tremula in abdomine gelatina continetur, quæ nullo modo per ampliorem cannulam exit. Tum vero vulnus dilatare, et eductis aquis detergentia et antiseptica injicere licet.

Ut ne aquæ redirent, Angli injectiones adstringentes et roborantes ex aqua Bristolensi et vino rubro tentavere, sed ægra inter injiciendum gravissimis symptomatibus corripiebatur, et quamvis convaluerit, parum tamen a vera morte abfuit.

Nonnunquam post paracenthesin magna respirationis difficultas subsequitur, a flatibus orta, cum intestina debilitata haud amplius aquis comprimuntur. Ubi ea carminativis exhibitis diutius remanet, plerumque hydrops pectoris accedit.

Cavendum, ne sero educto nimium comprimatur abdomen.

Si æger post paracenthesin fractis est viribus, pulsuque celeriore, cortex præbendus.

Nuper in binis feminis asciticis paracenthesi instituta loco aquæ materia purulenta, gelatinosa effluxit, cortice dato utraque integre convaluit.

Siti urgente acidi mineralis quidpiam addendum, si vero pulsus debilis, parvus ac tardus animadvertitur, mixtura e spiritu Mindereri et cornu cervi succinato locum habet.

℞. Aqu. menth. unc. jv.
Spirit. Minder. unc. ß.
— Corn. cerv. succin. gutt. xxxx.
Syrup. Kermes unc. ß.

Stimulantia remedia caute propinanda sunt,

cum sæpius post paracenthesin inflammatio peritonæi observata fuerit.

Viribus post paracenthesin invalescentibus ejusmodi remedia adhibenda erunt, quæ causam hydropis expugnent.

Rarius per umbilicum aquæ sibi viam atque exitum querunt; quod cum fit levando ægrum, nihil medicamentis turbandum.

Contra vero ubi umbilicus tumet, aut prominet, integumentaque tenuia sunt, lanceola is aperiri potest.

Genitalibus tumescentibus prodest vinum rubrum cum herbis aromaticis et aqua calcis.

Adhibentur quoque sacculi farina, herbis aromaticis in pulverem redactis, et modico salo, qui decrepitaverat, referti. Quod si partes excoriatæ sint, madidæque, tum sal sacculo contentus solvitur, ac rodendo sævos dolores ciet.

Labia gravidarum tumentia, partumque impedientia scarificanda sunt.

Cum pedes adeo intumuere, ut metuendum sit ne cutis disrumpatur, profuerit sane, eos incidere, quod potissimum ulcera succedunt, discerptæ cutis vulnere multo benigniora.

Damnantur a de Haen et Haffniensibus a) scarificationes propterea, quod persæpe gangræ-

---

a) Ann. 1671. Observ. 104.

nam produxerint; licet rarissime constans solamen afferant, non tamen omnino rejiciendas esse puto, cum in aperto sit, lympham extravasatam quandoque resorberi, et per diversas partes extra corpus ferri. Incisiones neque longæ admodum, neque nimis profunde instituantur, atque etiam cum recte ac probe fiunt, illico adhibitis cum internis tum externis medicamentis gangrænæ obviandum est.

Perniciem tum adferunt incisiones cum lividis pedes maculis squalent.

Cavendum etiam, ne hujusmodi maculæ pro scorbuticis habeantur, et acriora idcirco remedia veluti nasturtium etc. porrigantur.

Superest, ut de iis breviter agam, quæ apud quosdam singularem in curando hydrope laudem adepta sunt.

Clysmata ex urina vaccarum, asinorum vana deprehendit de Haen.

Gratiolam quandoque asciticis profuisse testatur Duverney a). Ejus extracto nullus ciebatur vomitus, sed copiosum urinæ profluvium sequebatur; spirituosum plus purgavit, quam aquosum, plus item illud ex foliis, quam quod ex radice conficiebatur.

Wratislavienses atro gratiolam carbone no-

a) Anno 1703.

taverunt: ego ante complures annos frustra fui, cum eam exhiberem. Nuper in nosocomiis viennensibus felici, ut referunt, eventu propinabatur. Tentari igitur poterit in ægris frigidis ac glutinosis, ubi nulla viscerum labes, nullus inflammationis metus, nulla denique corporis extenuatio observatur, cum Bergius a) observaverit, gratiola fœno immixta equos emaciari.

Succus iridis nostratis b) a Linnæo specificus habetur et perquam hydropicis salutaris, cum quandoque ventriculum subvertat, alvum dejiciat, et urinam urgeat.

Jeremias Lossius aliquoties anasarca laborantes iridis nostratis succo a se curatos atque sanatos fuisse ait, addit tamen eam continuis purgationibus mortem accelerare.

Observavit Josephus Baader c) quo præceptore olim et amico in paucis caro utebar, e plurimis asciticis vix unum aliquem evasisse, qui succum hunc sumpserint, sequebantur enim, uti ipsemet coram spectavi, ardor, dolorque œsophagi, ventriculi et intestinorum, tum tormina, vomitus, ac frequens desidendi conatus absque notabili evacuatione alvi; febre denique et in-

a) Mat. med. Tom. I. pag. 26.
b) Crantz Tom. II. pag. 177.
c) Observ. med. pag. 86.

flammatione accedente plurimos inter cruciatus miseri animam exhalarunt.

Laudat Duverney junior in ascita cum anasarca asarum, alii oxymel ejusdem, sed hoc quadraginta abhinc annis frustra præbui.

Nocent crystalli lunæ, quæ ab agyrta olim propinabantur.

Quidam corticem medium sambuci, turpethum vegetabile et radicem bryoniæ laudant, sed hæc omnia uti Francofurtenses docuerunt a), ventriculum et intestina arrodendo graviter lædunt, tonum eorundem debilitant, et vasa lymphatica eo adducunt, ut facile rumpantur. Quin imo externa unguenta e validioribus catharcticis confecta abdomini tuto adplicari negat Sydenhamus, cum iis quandoque hypercatharsis excitetur nulla remediorum ope inhibenda.

Decoctum corticis ebuli Broklesby b) referente, cum reliqua remedia fallerent, vomitum, alvum et urinam movit. Sed ex ejusmodi effectis patet, remedium esse drasticum, caute et cum circumspectione adhibendum.

Præstat, ut ex præcedentibus liquet, et Trallianus præcipit, paullatim et absque periculo evacuare, quam festinando nimium cum morbo ægrum quoque tollere.

---

a) Select. med., Tom. II. pag. 305.
b) Pag. 277.

Mayerne a) alumen commendat propterea, quod urinam magnopere moveat, sitim restinguat, putredinem arceat, et tonum viscerum, innoxie ea adstringendo, restituat. Itaque absque metu tentari poterit, ubi tenuitate humores peccant, quia alvus quoque alumine movetur.

In nosocomio universali tribus colica pictonum adfectis post adhibita incassum diversa remedia alumen cum gummi arabico optato adeo eventu exhibuimus, ut post sex, vel septem doses sumptas alvus solveretur et tormina disparerent.

Sæpius extractum lactucæ virosæ in hydrope, sed frustra exhibitum novi, cui pharmacopœi sonchum oleraceum nonnunquam substituunt.

Qui huic remedio favent, ut ejus famam tueri possent, extractum scillæ eidem admiscuerunt.

Menghinus b) compluribus ægris dimidiam minimum unciam cremoris tartari per diem exhibuit, idque tam diu continuavit, usque dum largiter urina proflueret.

Cum ad solvendum tartarum magna aquæ copia opus sit, admiscenda erit sexta, vel septima pars boracis, unde salvo acore tartarus facile

---

a) Prax. med. pag. 382.

b) Act. Bonon.

in aqua solvitur. Tali modo mirum quantum in ascite profuit, ab obstructione viscerum orto, quam sitis quoque, et pulsus celerior comitabantur, ut iteratis experimentis in nosocomio vidimus. Frustra hos a solo cremore tartari successus expectaveris, utriusque enim eventus certa et indubitata vidimus argumenta.

Ubi vero vires lanquent, humores soluti sunt, aut aquarum colluvie laxata omnia, cremor tartari, et quæcunque relaxant, medicamenta teste Ludwig a) non congruunt.

Laudantur in ascita pilulæ tonicæ Baccheri, quarum confectionem Richard publici juris fecit. Constant extracto radicis hellebori nigri, quod radicibus prius spiritu vini alcoholisato maceratis, postea rhenano optimæ notæ vino digestis paratur. Post hæc extractum aqua solutum rursus inspissatur, addita spiritus vini optimi tantilla quantitate consistere cogitur. Hujus unciæ uni additur tantundem extracti myrrhæ aquosi cum scrupulis decem pulveris cardui benedicti, ut massa efficiatur libro aëre siccanda, et in pilulas grani dimidii conformanda.

Præbuit auctor decem pilulas aliquoties de die quandoque ad quindecim, imo viginti progressus est.

---

a) Adv. Vol. III. P. II. p. 337.

Post quamlibet dosim jusculum exhibuit; nonnunquam longiore intervallo temporis cessavit: in corporibus strictiore fibra multum commendavit largos potus alterantes, ut decoctum taraxaci etc.

Recte animadvertit Baccherus, quod malo consilio asciticis omnibus olim inculcatum fuerit, ut potu abstinerent.

Baptista Montanus multa jubet, sed aperientia bibere eos, qui maxime obstructi essent.

Boerhaavius, calidis ceteroquin in hydrope remediis favens, ea tamen rejicit, ubi sitis cum febre urget, et succum citrinum, acetosam, lactucam cum cremore tartari præscribit.

Si pilulæ Baccheri nauseam, et vomituritionem excitant, dosin minuendam auctor præcipit, atque aromatica, vinum Hispanum, aut Burgundicum, clysmata denique et quandoque a pilulis abstinentiam suadet.

Multum emolumenti ab alvi purgatione et diuresi expectatur; ego autem duriorem sæpe alvum eo tempore, quo his pilulis ægri sunt usi, observaveram.

Nocent, ubi præter febrem siccitas major, et sitis adest, fœtentque urinæ; quandoque prosunt in solidorum debilitate, et enata inde fluidorum spissitate, ut in hydrope post quartanas, post evacuationes nimias aut animi pathemata.

Multum quoque prudentiæ ad dosin statuendam, tempusque eas præbendi designandum requiritur. Aliqui maniaci rite antea purgati ab expertissimo Nosocomii physico de Vigilis ope pilularum tonicarum Baccheri curati fuerunt.

Nos ab infuso hellebori cum amaricantibus, vel etiam ab extracto, jam a Brunnero adversus hydropem commendato, plus opis adferri ægris, quam a pilulis in Nosocomio vidimus, ubi ascites ex obstructis visceribus, aut nimium glutinosis humoribus exstitit.

℞. Absynth. pont.
Saponar. aa. unc. j.
Rad. helleb. nigr. dr. β—j.
Coque per quartam horæ partem in aquæ fontis q. s. colat. lb. j. adde
Oxymel scillit.
Syrupi de duabus aa. unc. j.
Sumat altera aut tertia quavis hora unc. β.

Videndum, ne helleborus viridis Linn. helleboro nigro substituatur.

Si urina parcius profluat, præter memoratum decoctum, extractum scillæ in usum vocandum est.

In laxis corporibus, dum lentore peccant humores, egestis antea per diuresin, aut alvum aquis, egregiam vim habet tinctura martis helleborata Nro, 30.

Ab hydrope sanati inhabitent loca sicca a paludibus remota, Morgagnius in multis, qui palustrem incolebant regionem, admodum fluidum sanguinem reperiit; vitent victum e leguminibus farinaceis, potus tepidos, corpus moderate exerceant, vino utantur, nec nimium lecto adfixi sint, corpus ab injuriis aëris humidioris probe muniant.

Caput XXXIII.

De Vomitu cruento.

Parum interesse existimo ad hujus morbi curationem pluribus verbis disserere, quænam ejus sit origo, utrum ex ipsis ventriculi, an e lienis, aut hepatis vasis, seu debilitatis, seu ruptis, seu arrosis excernatur.

Vidit Hoffmannus in dissecto cadavere hominis, vomitu sanguinis exstincti vasa brevia nigro colore fœda, ac disrupta, et in ventriculi cavo, uti et in intestino ileo liquamen nigrum ac fœtidum deprehendit. At, cum alterius eodem morbo sublati cadaver Ill. van Swieten aperuisset, visceraque abdominalia omnia sollicite, et accurate lustrasset, neque vas ruptum detegere, neque insignem aliquem ullo in viscere labem notare potuit.

Quidam dubitant, utrum ex liene per vasa brevia sanguis ad ventriculum feratur; at alii cum Dodonæo observarunt, lienem ante vomi-

tum sanguinis intumuisse, detumuisse post vomitum.

Nec vero sanguis grumosus vomendo ejicitur tantum, sed massæ quoque membranaceæ et cellulares, in intervallis coagulato sanguine repletæ, quæ concretionibus polyposis quam simillimæ sunt a).

Frequenter hic morbus ab hæmorrhoidibus, et menstruis suppressis, validioribus obstructionibus, aut scirrho ventriculi, hepatis, lienis; denique ab atra bile oritur, præcipue si corpus atrabiliariorum ira excandescat.

In infantibus recens natis animadvertente Vogel, quandoque ex vehementi capitis, aut ventris compressione in partu accidit.

A decocto foliorum tabaci partibus scabiosis applicato vomitus cruentus sequebatur.

Morbum hunc persæpe molesta abdominis, et hypochondriorum tensio, oppressio præcordiorum, et cardialgia antecedit, præcipue a sumtis cibis.

Quandoque morbus modo breviore, modo longiore intervallo redit.

Vomitus cruentus plerumque prope a periculo vitæ abest. Nihilominus van Swieten complures vidit, qui ex eodem evasere, satisque

---

a) Ludwig advers. med. pract. Tom. I. P. I. pag. 172.

commode deinceps vixere, etsi tantum sanguinis ejecissent, ut præ inanitate subita convellerentur.

Marcellus Donatus lienosos quosdam ad decem libras sanguinis per secessum, et vomitum ejecisse, auctor est, unde levati aliqui, alii omnino valetudini integræ redditi fuere a). Cl. Vogel b) contendit, vomitu cruento interdum fuisse leviores lienis et hepatis obstructiones sublatas.

Mihi felices hos eventus observare non licuit, sed reconvalescentes ex vomitu cruento fere semper languidam vitam duxerunt.

Stalpart van der Wiel c) etiam menstrua absque incommodo per vomitum rejecta vidit.

Facile ab hæmorrhoidibus vomitus cruentus existit, ob nexum, qui inter lienis, ventriculi, et hæmorrhoidalia vasa intercedit; sed hæmorrhoidibus etiam fluentibus persæpe hoc malum, nec evitatur, nec teste Montano et Claudino cum adest, dispellitur.

Interdum vasa lienis, et ventriculi varicosa ita dilatantur, ut malum postquam sedatum est, denuo recurrat, corpusque enervet d).

Minus periculi habet vomitus cruentus, cum e suppressis menstruis ortus est.

---

a) Histor. med. mirab. L. IV. C. IX.

b) Pag. 216.

c) Cent. II. C. XVII.

d) Advers. med. pract. Vol. I. P. I. pag. 176.

Nonnullos hic morbus post breve tempus aufert; alios febris lenta, hydrops, aut tympanitis eum subsecuta necat.

Cum ægri massas nigras, easque fœtidas inter deliria evomunt, pessimi id quidem ominis est, at, qui ascitæ accedit, plane lethalis haberi debet.

Id quoque malum, cum post cruentum vomitum sincerus per alvum sanguis profluit; sed ubi cruor grumosus, et ater eadem via excernitur, minus periculi subest.

Cl. Tralles a) venæ sectionem pro præsentissimo hujus morbi remedio habet, subjungit tamen, nisi morbum acer in ventriculo hærens stimulus excitaverit.

Poterit vena incidi quidem, cum pulsus fortis, et plenus deprehenderetur, morbusque e consuetis sanguinis fluxibus suppressis originem duceret; verum in numerosissimis ægris vix talis mihi occurrebat, sed plurimi, quod recte idem Dodonæus, ac Hoffmannus observarunt, fractis, ac dejectis viribus fuere.

Aurelianus quoque pulsus dubios, et animi defectiones observavit, quin totum inde corpus frigidum reddi didicit. Quare timendum est, ne vena incisa æger brevi exspiret, aut insuperabiles languores, vel hydropes sequantur. Venæ se-

a) Tom. II. pag. 29.

ctione præterea spasmi, indeque vomitus persæpe augentur.

Sauvages in hoc morbo ab hæmorrhoidibus, vel menstruis subpressis nato parvas solummodo venæ sectiones commendat. Præcipiunt nonnulli, ut dum turgent vasa hæmorrhoidalia, hirudines adponantur. Id quidem locum habere potest in subjecto athletico, laute nutrito, cæteroquin sano. Sed ubi obstructiones viscerum inveteratæ, tumidulus, flavescens corporis habitus, vires valde dejectæ, ab omni sanguinis detractione abstinendum est.

Ubi ægri viribus constant, æstusque aut orgasmus observatur e Trallesii præcepto potus demulcens frigidiusculus, veluti aqua cum succo citri, granatorum, aut ribisiorum præbendus est, quæ omnia, cum grata ventriculo sunt, tum nauseæ, et corruptelæ occurrunt.

Mixtura Riveriana perniciosum foret pharmacum.

In malo vehementiori acida mineralia dilutissima tentari possunt.

Si vero sumtis iis dolorem in ventriculo ægri sentiunt, abstinendum est.

Alumen non convenit, cum quibusdam vomitum cieat.

Nec martialia locum habent, quæ noxios edunt effectus, ubi obstructis visceribus abdominalibus propinantur.

Cum vires autem adeo collapsæ sunt, ut pulsus vix percipiatur, extrema frigeant, mensque ipsa obtenebrata sit, fricandis leniter extremis partibus, blando lecti calore et odoramentis ad nares admotis excitandi sunt ægri, et acetum vino mixtum regioni ventriculi adplicandum.

Abstinendum a frictionibus ventriculi, quoniam, eo vel leviter agitato vomitus observante Pisone rediit.

Interne mixtura ex aqua et syrupo menthæ, ac infusum millefolii præberi possunt.

Paregorica a multis ob virium imbecillitatem rejiciuntur, verum cum cruciantes hypochondrii spasmi, et intolerabiles anxietates, irritatioque mechanica, quæ a grumis in ventriculo hærentibus excitantur, sopienda sunt, vix aliunde, quam ab opio levamen expectari potest.

Pacato vomitu, ut grumosæ reliquiæ auferantur, et oscula dilatata corroborentur, paucas rhei doses cum cremore tartari exhibendas præcipit Ill. Tralles.

Illinitiones abdominis purgantes a Cl. Ackermann commendatæ in hoc morbo conveniunt, cum a purgantibus ore sumtis ventriculus facile irritetur.

Si multi grumi sanguinis cum borborygmis, tensione et dolore abdominis per anum ege-

rantur, clysmata ex decocto millefolii et taraxaci prosunt.

Arnicam, ut grumis sanguinis resolvendis et obstructionibus viscerum reserandis aptissimam nonnulli prædicant; sed in vomitu cruento haud propinanda videtur, cum ea sæpe acerbos ventriculi dolores et vomitus excitaverit, id, quod adhuc magis de floribus ejus, quam herba intelligi debet.

Viribus sensim redeuntibus causa morbi eliminanda est, quæ plerumque in visceribus abdominis obstructis latet.

Hinc medicamenta ex taraxaco, cichoreo, saponaria, terra foliata tartari parata exhibere oportet. Vernali tempore succus taraxaci proficuus est. Extractum amaricans aqua v. g. melissæ dilutum, elæosaccharo edulcoratum, optime scopo huic satisfacit. Si ægris nauseam excitet, metus est, ne vomitus subsequatur, pilulæ ex solventibus, amaricantibus substituendæ sunt.

A leniori dosi incipiendum est, ne forte per solventia majori dosi sumpta, vasis nondum consolidatis, vomitus cruentus denuo redeat.

Aquæ Egranæ in loco haustæ tollendis viscerum abdominalium infarctibus stupendos effectus edidere.

Etiamsi morbus mensium aut hæmorrhoidum suppressione originem debeat, perniciosum foret,

helleborum, aut remedia ex aloë parata, vel alia emenagoga propinare. Potest tamen in catameniis suppressis emplastrum leniter stimulans, ut de galbano crocatum D. V. inferiori abdomini applicari.

Utilia quoque sunt semicupia.

Cum vel ipso vomitu cruento vel medicamentis solventibus, quidquid obstractum erat, sublatum est, et viscera abdominis libera et expedita sunt, tum ad roborantia, veluti pilulas ex cortice, extracto millefolii et rheo, vel aquas martiales confugere oportet.

Aquæ Stecknicenses, quibus hic frequenter utebantur ægri, ferrugineæ sunt et adstringentes ita, ut fere ad stipticas accedant; cum tamen minore copia aërem fixum ac spadanæ contineant, his postponendæ videntur a).

Verum hæ aquæ medicatæ parvis et repetitis dosibus hauriendæ sunt, ne subita et copiosa earum ingurgitatione ventriculus justo plus distendatur.

Ubi morbus jam profligatus videtur, et ægri de pondere rursus ventriculi regionem occupante, vel de anxietatibus alvique obstipatione queruntur, denuo ad lenia solventia, quæ alvum proliciant et ad clysteres transeundum.

---

a) O Reilly de ortu, et indole aquarum Stecknicensium.

Enemata minore volumine injicienda sunt, ne intestino colo nimis distento fundus ventriculi comprimatur.

Scorbutici quandoque sanguinem evomunt et cruenta per alvum dejiciunt; sanguis autem raro grumosus, sed loturæ carnium similis est.

Difficulter malum hoc medelam capit.

Si ægri sitiant, pulsus sit celerior, infusum malti, cum pauco elixirio vitrioli D. V., nisi dolores inde ventriculi augeantur, exhiberi potest.

Præstantissimos effectus ab infuso malti scorbuticis ad jj—iv lb. de die propinato in nosocomio vidimus.

Ubi vires admodum dejectæ sunt serum lactis cum vino rubro paratum, decoctum ex cortice peruviano et succus Catechu convenit, cum constet fere solutas scorbuticorum gingivas frustulis succi catechu in ore retentis mire roborari. Urgente malo ad fortiora adstringentia, ut decoctum radicis tormentillæ et bistortæ recurrendum est.

Vomitu sanguinis etiam superato, cavendum ab acrioribus antiscorbuticis, ut nasturtio, et cochlearia. Sabinam diutius a putredine præservare putat Stoll, et eam scorbuticis commendat. Cum vero fidis observatis constet, Sabinam validum esse emenagogum, metus est, ne, ea assumta, hæmorrhagia infausta subsequatur.

Viribus erigendis cortex peruvianus optime inservit, ad quem in scorbuto provecto fractis viribus magis, quam ad antiscorbutica confugiendum est.

Brassica muria condita merito ut egregium alimentum contra scorbutum celebratur, ubi autem ab alimentis sumtis reconvalescentes ex vomitu cruento scorbutici flatibus, borborygmis et anxietatibus vexantur, ad testudines, ranas et tenuiores carnes et jura ex iis parata confugere licet, a quibus scorbutici in diuturnis itineribus brevi vires et sanitatem recuperarunt.

Convalescentibus ex vomitu cruento animi quies, diæta tenuis, moderatus corporis motus, imprimis equitatio imperanda est.

Videndum etiam, ne regio ventriculi frigori objiciatur, quo admisso dolores cardialgici, spasmodici, quin vomitus ipse redire solent.

Caveant feminæ a thoracibus, quibus infimæ costæ, et inde hepar, lien, atque ventriculus comprimantur.

Caput XXXIV.

De Cholera.

Quamquam frequentissime Augusto mense choleram grassari asserat Boërhaavius, ea tamen aliis quoque temporibus, ac tum præcipue crebrior animadvertitur, cum calidis diebus frigidæ noctes succedunt.

Multo frequentius ab acriore atque copiosiore bile oritur, quam e refrigerantium abusu, ceu peponum vel cucumerum, aut ab esu brassicæ, carnisve suillæ.

Robustissimos quosque, cum vix per aliquot horas cholera correpti essent, pulsu debilissimo, oculis caligantibus, ac fere exanimes reperi. Hinc recte Aurelianus acutam dicit, et celerrimam passionem, quæ nunquam in alterum transeat diem.

Quo magis excrementa a statu naturali recedentia, ut livida, nigra, aut loturæ carnis similia excernuntur, eo periculiosior morbus.

Abdominis doloribus leniendis Wintringham venæ sectionem commendat, pernicioso sane tum

consilio, cum pulsus exiguus, et inæqualis deprehenditur, cum frigidis sudoribus æger manat, aut animo linquitur.

In summum vitæ discrimen ii adducerentur, quibus ob oris amaritiem vel vomitum emetica propinarentur.

Cælius Arelianus ait: siquis vomitum provocare vellet, idem ageret, quod ille, qui sanguinis fluxione intereuntem phlebotomia adjuvare, vel sudoribus dissolutum, diaphoreticis confirmare cuperet.

Plurimi initio morbi jusculum pulli tenue ad mentem Sydenhami largiter potandum jubent, ut acrimonia hoc modo eluatur; ego centum et amplius ægros cholera adfectos tractavi, in quibus vix elapsis aliquot ab accessu ægritudinis horis, singultum, debilitatem summam, oculos caliginosos, et pulsum inveni, vix sub sensus cadentem. Itaque mox ad opium confugiendum fuit, jam a Serapione et Heraclide Tarentino commendatum.

℞. Aqu. Meliss. unc. jjj.
Laudan. liquid. Sydenh. gutt. xxiv.
Syrup. kermes unc. β.

Sumat quarto aut sexto quovis minuto unciam dimidiam, prout necessitas postulat; non enim longis intervallis præbendum est hoc medicamentum, ne opii virtus inefficax reddatur.

Cum plurimi medicinam sæpius evomant, alii majori laudani dosi egeant, donec optatus sequatur exitus, consultum sane fuerit, plus opii præscribere, cum æger in loco a pharmacopolio longius dissito degit, ne ante pereat, quam necessaria opii dosis præsto sit.

Nunquam me hujus methodi poenituit, etsi Cl. Jung asserat, frequentius nocere opium, nisi acre vomitu ante expulsum sit.

Inter vomitum ipsum, aut eo remittente, infusum melissæ, vel jus pulli tenuiculum ingeri potest.

Urgentibus doloribus, cataplasmata ventri admoveri convenit; sed ubi debilitas cum vomitu urget, præferendi sunt sacculi herbis aromaticis, rore marino, mentha etc. repleti. Hi calido vino immerguntur, tum expressi regioni ventriculi adplicantur.

Cavendum, ne epithemata frigida, a Cœlio Aureliano commendata adhibeantur. Quamquam idem mox subjungat: cum dolor aut intestinorum tormenta coegerint, frigidorum loco temperantia admoveamus.

Hisce non levantibus semisvesicantia adponi possunt.

Morbo superato, vires extracto corticis, vino rhenano aut austriaco etc. corrigendæ sunt.

℞. Aqu. meliss. unc. v.

Extr. cort. peruv. unc. ß.

Syrup. flor. tunic. q. s. ad gratiam.

Ubi pondus circa ventriculi regionem sentitur, aut alvus, quod potissimum accidit, segnior est, drachmas vj. aut xjj. tincturæ rhei addere priori mixturæ oportebit.

Sollicite ab aëris injuriis, pedumque refrigeratione cavendum.

A Mortono choleræ species observata est, quæ accessu sæpe tertianæ, raro quartanæ, sæpius vero tritæophyæ paroxysmum comitatur. Ejusmodi in febribus pulsus, utplurimum contractus est, ac per intervalla remittens.

Multum in his periculi inest, cum mortem minentur; nec tam solventibus, aut purgantibus tractandæ, quam brevi cortice fugandæ sunt.

Universim febres intermittentes, quæ durante paroxysmo magnis doloribus, atque anxietatibus stipatæ sunt, purgato corpore, brevi cortice peruviano exstirpare oportet, ne perniciosæ evadant.

Caput XXXV.

De Dysenteria.

Dysenteria alvi profluvium est, cum acerbis intestinorum doloribus, molestoque tenesmo conjunctum, quo materies biliosa, mucosa, cruenta etc. ejicitur.

Sæpe dysenterici inter liquidas dejectiones excrementa dura et figurata deponunt.

Nonnulli vehementes dolores sentiunt; alii mitius habent: quandoque copiosa alvus, quandoque modica, sed frequentissime excernitur.

Urina sæpe saturata est, nonnunquam, præcipue in dysenteria nervosa aquæ instar limpida profluit.

Morbus ipse jam cum vehementia hominem adoritur, jam mitis principio per gradus perpetuo augetur.

Dysenteria vel sporadica est, vel epidemica; hæc plerumque periculi plus habet: frequentius autumno, æstate vero frequentissime grassatur:

In regionibus calidis graviores crebrioresque dysenteriæ occurrunt.

Diversa mali sedes est. Pringle in intestinis crassis eorum, qui hoc morbo mortui erant, pustulas velut a variolis ortas, reperit: earum sedes in cellulosa erat, quæ villosæ subjicitur, ipsa hac illæsa.

Nonnunquam intestinorum tenuium suppuratio, gangræna, et sphacelus deprehendebatur; contra vero Zimmermann a) in dysenteria intra breve tempus mortem adtulente, intestina prorsus sana invenit.

Variæ dysenteriæ causæ existunt; velut alimenta prava et corrupta; aqua fœtens, et aër putridis exhalationibus inquinatus, unde post inundationes, aut in locis palustribus sæpe hic morbus grassatur.

Victum gramineum dysenteriæ epidemicæ causam fuisse in exercitu Xerxis, Herodotus author est.

Maximam quoque vim habet ad generandam dysenteriam turba hominum intra angustius spatium coarctata, vel subitæ aëris vicissitudines, tum matutina parum cautos nunc frigora mordent.

Quare in castris etiam sæpius hoc malo gre-

---

a) Von der Ruhr. pag. 51.

garii milites, quam eorum præfecti corripiuntur, qui melius nutriuntur, neque tam densi cubant, et contra aëris injurias melius muniti sunt.

Etsi dysenteriæ sporadicæ in Indiis præcipue occurrant, ubi e nimio fructuum, veluti peponum, aut prunorum esu nascuntur; etsi item hi fructus tum, cum corpus ante dispositum est, purgent, Bramini enim solis vegetabilius viventes diarrhœa potissimum laborant: epidemicæ tamen dysenteriæ huic causæ adscribi non possunt, cum sæpe iis annis grassentur, quibus fructuum inopia summa est, aliis vero, qui fructuum copiam suppeditant, vix observentur.

Cl. Richter putat, quod dysenteria sit affectus catarrhalis rheumaticus, maxime intestinorum crassorum et remedia transpirationem promoventia prosint. Alexander jam meminit dysenteriæ rheumaticæ; sæpe morbus quidem ab hac causa oritur, sed quandoque inflammatoriæ, frequenter biliosæ indolis esse innumeris observatis constat. Occurrebant dysenteriæ sub magno constanti æstivo calore, ubi nulla rheumatici genii suspicio erat.

In annis valde siccis quandoque grassatur, cum rivorum lentior cursus est, aquæ minus agitantur, plura nascuntur insecta, et acriores plantæ ad littora crescunt.

Dysenteria non semper a bile vitiata nasci-

tur, quamvis animadvertente Clar. Strack illos frequentius invadat, quibus ea aut nimia, aut corrupta est.

Periculosior hic morbus strictioribus, quam laxis, viris, quam feminis est: periculosissimus tum, quum alia ægritudine detentum aggreditur; præcipiente enim Hippocrate a) morbos supervenire morbis malum est, quod uno exhaustus pene homo, alteri ferendo impar sit. Lethalis, quæ atra bile, cancro, aut phthisi laborantes adoritur.

Mitior sub frigido aëre, quam æstuante coelo esse solet.

Quæ a dejectionibus sinceris inchoat, discriminis plurimum habet.

Non tantum periculi in vomitu est, cum principio morbi existit, quam cum in ejus progressu accedit.

Hippocrates quidem vomitu morbum, qui diuturno alvi profluvio sponte advenit, solvi ait, verum in hoc statu sæpe ab inflammatione nascitur emesis, metumque incutit futuræ gangrænæ.

Vix unquam datur dysenteria epidemica, quin intestina aliquo saltem gradu inflammata sint observante Huxhamo.

Cum omnia, quæ ori ingesta fuere, denuo

---

a) Libro de Morbis.

rejiciuntur, vel cum materia æruginosa, aut porracea sincero vomitu egeritur, indicium id fuerit periculi in quovis stadio urgentis.

Quo major abdominis dolor, quove pejor excrementorum odor, eo morbus gravior.

Modicæ, sed sæpius repetitæ excretiones majore cum periculo conjunctæ sunt, quam eæ, quibus materiæ plus, at rarius per alvum excernitur.

Largius urinæ profluvium bonum omen præbet.

Hæmorrhagiæ in dysenteriis autumnalibus sinistrum præsagiunt, cum sanguinem nimis solutum indicent.

Infaustæ prognosis est abdomen tumidum: ardor internus, rigentibus extremis corporis partibus: ingens ad præcordia anxietas: debilitas summa: defectiones animi: aphthæ: maculæ denique nigræ corpus deturpantes.

Nonnunquam superato morbo hydrops, tympanitis, vel marasmus sequitur.

Diversa est dysenteriæ pro diversa ejus natura, curatio.

Nullum affectum tantis difficultatibus implicitum, præsertim in ejus curatione inveniebat Cl. Heredia Medicus Hispanus.

Persæpe ex acri ad intestina delato originem ducit; raro admodum perfecte inflammato-

ria est; quandoque rheumatica, biliosa, putrida, maligna, vel ex his mista, ut rheumatico biliosa &c. occurrit. Nonnunquam sub initio inflammatorium, deinceps dispositio ad putridum prædominatur.

In curanda dysenteria ad ea, quæ præcesserunt, tum ad ægri vires ipsamque epidemiæ naturam probe attendendum est. Neque tamen ex quibusdam epidemiis regulæ generales formandæ sunt, cum præcipiente immortali Sydenhamo: qua methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem ipsa forsan jam anno vertente e medio tolles.

Tralles diarrhœas observavit, quæ diutius relictæ facile in dysenteriam abiere. Eas ille exhibito rheo, et data sub vesperum theriaca Andromachi una cum demulcentibus sanavit.

In pertinacioribus diarrhœis, ubi nullum inflammationis, aut saburræ in primis viis latitantis indicium, sequens electuarium cum successu adhibui.

℞. Cort. peruvian. dr. jjj.
Theriac. Andromach. dr. jj.
Rad. colomb.
Pulv. salicar. aa. scrupul. jv.
Syrup. menth. vel diacod.
q. s. ut f. electuar. molle.

In dysenteria biliosa utplurimum post alvi evacuationem levamen sentiunt ægri.

Cum dysenteria inflammatoriæ est naturæ, plerumque frigus præcedit, dolor constans ac velut ardens percipitur, isque fixus est, et unam abdominis partem præ alia infestat.

Pulsui haud fidendum, quod in ipsa intestinorum inflammatione sæpe parvus tangitur.

Hic venæ sectio viribus accommodata tentanda; tum cataplasmata abdomini emollientia adponenda, ac ejusmodi clysmata ano injicienda sunt.

Non tamen omnibus dysentericis enemata prosunt, cum in nonnullis morbus inde exasperetur.

Interne cremor hordei, oryzæ, emulsa, decoctum althææ, radicis salep, mixtura ex Gummi arabico parce, sed sæpius ingerenda sunt, ne intestinis plus distentis dolor augeatur, aut vomitus sequatur.

Abstinendum ab alvum cohibentibus; recte præcipit Carolus Piso, quod in dysenteria curanda principalis indicatio sit, febrim tollere, nec prius fluxum moderari liceat.

Cavendum a purgantibus, præcipue vero ab emeticis, quamvis æger nihil adpetat, et biliosa rejiciat; vomitu enim spontaneo, qui a dolore, et diathesi inflammatoria nascitur, bilis sana in

ventriculo fluctuans expellitur. Quæ forte causa fuit, cur Galli milites in Italia Ludovico XIV regnante fere omnes, quibus ipecacuanha exhibebatur, perierint, cum antea quam plurimi in exercitu gallico Sedani dysenteria laborantes curati essent, vomitu per ipecacuanham excitato.

Quam plurimos novit Cel. Frank dysentericos letho traditos, cum ex nausea, vomituritionibus, oppressione stomachi, quin ex oris amaritudine et linguæ viscositate ad bilis turgescentiam concluderent incauti.

Interdum a vena secta dolor, calorque minuuntur, et abdomen mollitur. Quodsi tum ægri de appetitu prostrato, et nausea, conquerantur; vel si sordida appareat linqua, lenia purgantia e tamarindis et manna locum habent. Absit rheum, quod ob vim adstringentem tormina et morbum auget.

Occurrunt dysenteriæ, in quibus observante de Haen et Vogel purgantia haud conveniunt. Elapsis annis multos dysenteria adfectos in nosocomio absque evacuantibus feliciter curavimus.

Morbus a transpiratione suppressa ortus sæpe solis demulcentibus, pulvere Doveri, theriaca ventri imposita, vesicatoriis, clysmatibus tollitur.

In hoc morbi genere faba Pichurim, quam a Carmelitis ex Lusitania redeuntibus accepi, levamento fuit.

In dysenteria biliosa aut putridæ naturæ cavendum, ne ob acerbum capitis dolorem, majorem ad attactum calorem vena secetur.

Nausea, oppressio ad scrobiculum cordis et lingua sordibus obducta, emeticum interdum repetendum indicant.

Vomitoria plus emolumenti habent initio morbi, quam in longius progresso.

Radix ipecacuanhæ tanquam specificum in hoc morbo deprædicata optime tartaro emetico jungitur, cum præcipiente Zimmermann et Murray ipecacuanha sordibus tenacioribus satis ejiciendis raro sufficiat. Solus tartarus emeticus quandoque violentius agit, aut alvi excretiones nimium auget.

Hume ipecacuanham ad gran. V sexta quavis hora præbendam censet; fatetur tamen vir Clarissimus, paucos omnino ægros continuam perferre nauseam posse.

Si vomitorio dato signa saburræ in intestinis adhuc latitantis apparent, ad purgantia ex manna, tamarindis et sale amaro (quod Cl. Zimmermann ad unc. j—jβ. exhibet) confugiendum est. Si vero abdomen valde tensum sit, nec sitis aut orgasmus urgeat, tinctura rhei præferenda est.

Inter purgandum leve infusum florum chamomillæ haurire convenit.

Si dysenterici datis purgantibus materiam

viridescentem ejiciant, atque inde leventur, ea continuasse juverit; si vero lingua purior sit, neque ægri nauseam, anxietatem, aut oppressionem præcordiorum querantur; si denique excrementa copiosa, aquosa, non admodum fœtentia excernant, vel inter purgandum dolores augeantur, vires prosternantur, aut singultus tremorve accedat, desistendum ab evucantibus, et ad demulcentia, ut gummi arabicum, radicem althææ et salep recurrendum est.

Nonnulli althæam ejusdem cum radice salep virtutis esse putant; sed hæc illi præferenda videtur, cum magis ad gelatinæ naturam accedat, nec vires ventriculi, ut althæa deprimat.

Inter demulcentia locum meretur salicaria, præcipue cum gummi arabicum enormi nunc pretio apud nos vendatur, vel in pulvere ad Scrup. j. altera quavis aut tertia hora, vel in mixtura propinata. At eam multa aqua dilutam esse oportet, ne mixtura nimis glutinosa evadat.

℞. Pulv. salicar. dr. j.
Aqu. flor. rhœad. libr. j.
Syrup. alth. unc. β.

Laudat de Haen in nimio alvi fluxu, e laxitate orto, salicariam, sed ob virtutem adstringentem in cacochymia purulenta ejus usum damnat.

Bergius quoque eam adstringere docet, sed

idem vir Clarissimus folia recentia lubrica esse testatur. Neque ego in exsiccata styptici quidquam gustando detexi, aut in dysenteria noxium aliquem effectum, qui ex adstringentium usu facile consequitur, observavi. Quin ea in phthisicorum diarrhœa colliquativa vim habuit palliativam, neque ægri illa sumta majorem anxietatem, aut spiritum angustiorem sentiebant.

Inconsiderate in pharmacopœa castrensi austriaca asseritur, quod salicaria tam ars, quam æger sine damno destituatur.

Si datis demulcentibus nimiæ alvi excretiones continuent, vel doloribus excrucientur, tum absente inflammationis metu, neque ulla in primis viis hærente saburra lenia demulcentibus paregorica socianda sunt.

℞. Rad. salep. dr. j.

Coque per quartam horæ partem in aquæ fontis q. s. colat. unc. xjv.

Adde.

Tinctur. anodyn. gutt. xv.

Syrup. diacod. unc. ß.

Sumat singulis horis, aut altera quavis hora unciam unam.

Dum paregorica indicantur, tutius est ea successive ore propinare; opio per enema injecto, quandoque cito alvus præcluditur, meteorismus et alia gravia incommoda succedunt.

Quod si vero ægri paregoricis angantur, aut abdomen increscat, desistendum ab iis, et pro diversitate symptomatum, ut ex prioribus patet, ad clysmata ex infuso chamomillæ vel alvum moventia cum lenibus carminativis recurrere oportet.

Egregium demulcens est emulsio arabica.

In hoc dysenteriæ stadio tinctura rhei præferenda est mannæ, cum intestina adeo laxata sint.

Dum in dysenteria putrida purgato sufficienter corpore et absente inflammationis metu nihil diluentibus, aut demulcentibus efficitur, corticem simarubæ, radicem Colombæ propinare convenit.

Alumen, quod putredini adversatur, et colliquationem humorum impedit in dysenteria putrida non convenit, cum alvi fluxum moveat.

Miratur Clarissimus Cullen, quod alumen in diarrhœa non exhibeatur, sed eodem libro asserit, quod alumen majori dosi datum ut purgans operetur.

Interdum mitigato jam morbo, tum alvi profluvium, tum abdominis dolores rursus augescunt. Quod cum sit, lenia purgantia commendantur, quæ locum habere possunt, si lingua sordescat, excrementa viridem colorem referant, aut ægri circa præcordia coangustentur, vel diætæ error præcesserit. Si vero vires dejectæ sint, aut signa

ante memorata absint, caute cum purgantibus agendum erit; nam hæc symptomata forte e frigore incaute admisso, aut intestinis mucu nudatis exorta sunt: quemadmodum enim ægri graviter læduntur, cum demulcentia, et styptica primis viis non satis expurgatis præbentur, ita dysenterici quoque pereunt, cum fractis nimium viribus evacuantia propinantur, aut illa negliguntur, quæ alvi fluxum compescant, tum enim humores magna vi in debilitata intestina irruunt.

Pessima vulgo opinio inhæret noxium id esse, si e dysenteria biliosa decumbentibus ægris, cum sitiunt potulenta copiosius exhibeantur; veretur enim, ne alvi excretiones inde augeantur; cum ex adverso humorum acrimonia diluentibus corrigatur et ad feliciorem egestionem disponatur.

Lac raro dysentericis convenit. Nocet in diathesi biliosa et putrida ob caseosas, et butyraceas, quas continet partes: nec in dysenteria maligna tuto propinatur, cum intestina ac corpus magis relaxentur. Denique in morbo inflammatoriæ naturæ emulsa lacti antiponenda sunt.

Cum sitis urget, corpusque adhuc evacuationibus eget, drachmæ duæ cremoris tartari in sex libris aquæ solutæ et liberaliter haustæ prosunt. Si vero nulla evacuantia indicantur, tum demulcentibus quidpiam spiritus vitrioli addi potest; at cum vires concidere, venter magis

tumidus, et intestina laxiora evasere, egregiam opem elixirium vitrioli acidum Halleri rite dilutum præstat; simili remedio pater meus, in curandis morbis putridis multum ac felicissime versatus, ante sexaginta annos non sine maximo emolumento usus est.

Rejicienda tamen acida mineralia, cum dolor abdominis iis sumtis ingravescit.

Si in dysenteria biliosa, aut putrida purgato, quantum opus erat, corpore pulsus mollis ac debilis tangatur, vires penitus prostratæ sint, præcipue vero, si aphthæ accedant, quæ non semper a purgantibus, morbi principio intermissis, aut adstringentibus, aromaticisve datis nascuntur, decoctum ex cortice peruviano et radice salep indicatur.

℞. Cort. peruv. select. dr. x.
Coque in aqua per horam.
Adde.
Rad. salep. dr. j.
Coque per quartam horæ partem.
Colat. unc. xjv.
Adde.
Syrup. papav. erat. q. s. ad gratiam.
Sumat. omni tertia aut quarta hora unc. j.

Cortici peruviano non sine fructu radix colombæ, cascarilla jungitur, quæ debili ventriculo et laxitati ventris egregie subvenit.

In dysenteria ubi gangrænæ metus oboritur, clysmata e cortice paranda esse censuit vita functus amicus meus Reginæ Angliæ Archiater Baro Huck Sanders, cui plane assentior; illud tamen universim monendum arbitror, ut clysmata, cumprimis ex cortice confecta parva dosi injiciantur, quo diutius ab ægris retineri possint.

Laudatur in dysenteria ad putridam vergente, si nullus inflammationis metus adsit, radix arnicæ ad dr. β. altera, tertia, aut quarta quavis hora sumenda; sed quantum usu discere potui, in morbis putridis arnica longe cortice inserior est. Multi etiam ægri de ventris doloribus auctis post arnicam sumtam conqueruntur.

Commendatur quoque radix colombæ vel in decocto, vel in pulvere a gran. x — xv. et ultra sæpius per diem sumenda, cum alvum non obduret, et bilis putredinem, acrimoniamque corrigat, eamque ego et mihi amicissimus de Mertens a) cum fructu exhibuimus. Ceterum, si ejus periculum gustando fiat, non omni prorsus adstringendi vi caret.

A Parisinis, aliisque vitrum ceratum antimonii laudatum fuit; verum Clar. Navier b) illud

---

a) Tom. II. observ. p. 13.

b) Dissert. sur plusicures maladies populaires.

inutile expertus est, et Baumé a) adnotavit persæpe vomitum ab eodem cieri. Multos vitro antimonii cerato e medio sublatos vidit Zaffius. Neque Angli tum probant, cum tormina vehementiora; cum caloris, et tensionis sensu in abdomine animadvertuntur. Ceterum hoc remedium eo fortius agit, quo subtilius contritum est, adeo ut gr. j. talis pulveris plus præstet quam gran jj. obiter et negligentius comminuta.

In dysenteria certe non prope a periculo abesse hoc remedium credendum est, quod ut in actis Anglicanis refertur, vomitum et dejectiones eliciendo; hydropes quandoque sanavit.

Dysenteriæ rheumaticæ indolis plerumque existunt tempore humido, frigido, post subitaneas tempestatis mutationes, adsunt persæpe dolores artuum, plures rheumaticis affectibus vexantur, urina est pallidior; in his absente saburra demulcentia, transpirationem promoventia conveniunt, ut decoctum ex althæa et floribus sambuci; lenis camphoræ dosis, vesicantia artubus et ventri imposita et si vires admittant, balnea tepida; urgente malo ad pulverem Doveri confugere oportet.

In dysenteria putrida puritas lecti et linteami-

a) Pag. 124.

rum imperanda, urina, feces alvinæ hoc morbo affectorum, lecti stramen, sellæ, instrumenta clysmatibus injiciendis, quibus hi ægri utebantur, præsto auferenda sunt, cum morbus hic tam facile contagio contrahatur, quamquam Carolus Piso contrarium asserat; fidis enim observatis constat, a tentoriis et domibus, quas dysenterici inhabitabant, morbum ad alios delatum fuisse.

Denique constat, quod vapor aceti, pulvis pyrius accensus non profuerit ad malignitatem morborum putridorum corrigendam, et ad contagium prævertendum non sufficiant, nisi cautum fuerit, ne multi ægri in eodem loco decumbant et aër sæpius renovetur. Ex Observatis Mindereri, Sarcone et aliorum patet, putridos morbos in plateis arctioribus et frequentiores et graviores fuisse.

Cum febris tertiana vel simplex vel duplicata dysenteriæ accedit, vel cum certo tempore dolores abdominis exacerbantur, aut alvus crebrius excernitur, cortex peruvianus in substantia tentandus est. At quibus alvus a cortice movetur, nec febris ob remedium cito nimis e corpore ejectum minuitur, iis opium, sed parce et considerate propinandum est. Theriaca vero Andromachi, electuarium diascordii, aut ejusmodi medicamenta calida et stimulantia minus conveniunt.

Dysenteria maligna vel nervosa ex subita et summa virium prostratione, pulsu debili, urina

fere naturali, tremore artuum, somnolentia et apositia cognoscitur.

Ingens hæc jactura virium, ut jam Boërhaavius observavit, non ab ejectæ materiæ copia, sed a vi quadam venenata, in spiritus ipsos agente repetenda est a).

Ejusmodi morbo nonnunquam ii laborant, qui ægris inserviunt, morbumque contagione nacti sunt. His ubi de oppressione ad scrobiculum cordis, majore nausea, anxietate conqueruntur, emetica præbere licet, quamquam similes ægri non bilem, sed solum aquam remedio superpotam et mucum gastricum quandoque evomant.

Semper tamen et virium et vitæ anteactæ ratio habenda est.

Exitiosa sunt purgantia, nec sola demulcentia locum habent, sed ad adstringentia, diaphoretica et excitantia recurrendum est. Hinc cortex simarubæ, succus catechu, pulvis Doveri, camphora, moschus, decoctum ex mentha, salep, aut ruta, angelica, denique electuarium diascordii, fomenta aromatica, vesicantia, clysmata ex infuso chamomillæ cum camphora, pro diversitate symptomatum conveniunt, ut ex iis patet, quæ de febre putrida et maligna animadverti.

Decoctum corticis simarubæ minus adstrin-

a) Epist. ad Bassand. p. 33.

git, quam pulvis in substantia datus, qui ad scrup. j. tertia, vel quarta quavis hora propinatur. Nonnullis tamen a pulvere ventriculus gravatur. Barbeirac decoctum anteponit, cum saburræ suspicio in primis adhuc viis hærentis existit.

Diluentia in dysenteria nervosa melius conveniunt, cum tepida hauriuntur.

Magnæ utilitatis sunt vesicantia, sæpe emplastrum ex dimidia parte meliloti et vesicatorii cum successu abdomini adplicatur.

Quandoque a vesicatoriis diutius subpurantibus nascuntur ulcera, remediis consolidantibus resistentia: prodest tunc fila carpta solutioni aluminis crudi immergere, et ea exsiccata ulceribus adplicare, quæ cum eventu quoque pulvere subtilissimo olibani insperguntur.

Fomenta, aut cataplasmata emollientia, quæ in nonnullis dysenteriæ speciebus ventri admota prosunt, in nervosa non conveniunt, sed eorum loco linteis utendum est, quæ infuso aquoso vinoso ex ruta, scordio et lavendula immersa fuerint; urgente casu tincturam anodynam addere convenit. Curandum, ut lintea bene exprimantur, nec abdomini adposita frigescentia relinguantur.

Abstinendum a clysmatibus emollientibus, aut evacuantibus; cum pulsus remisse et inæqua-

liter micat, venterque inflatus est, infusum saturatum chamomillæ cum camphora ano injicere præstat.

Si a prædictis auxiliis dejectiones alvinæ non minuantur, sed pulsus et vires magis concidant, absente inflammationis metu enemata ex decocto radicis tormentillæ cum gummi arabico et camphora tentare licuerit.

Anno millesimo septingentesimo sexagesimo secundo multi ad nosocomium fratrum misericordiæ deferebantur dysenteria adfecti, neglectique. In plerisque ob summam debilitatem nullus amplius evacuationibus locus erat; alii primis viis purgatis adeo copiosa excrementa dejiciebant, ut remediis laudatis nihil proficientibus, mors instare videretur. Multis horum sequens medicamen profuit.

℞. Conserv. rosar. rubr.
Syrup. myrtill. aa. dr. vj.
Pulv. rad. tormentill.. dr. j.
— — ipecacuan. dr. ß.
Opii puri gran. jv.

Misce exactissime. Sumat singulis aut altera quavis hora drachmam unam.

Hoc ideo remedio usus sum, quod fore sperabam, ut ipecacuanha motum peristalticum minuat, et opium vomitum prohibeat.

Nondum enim eo tempore ipecacuanhæ cur

opio connubium ex Geofroy et Pringle mihi innotuerat.

Clysmata cum aëre fixo in alvi fluxibus putridis laudantur, sed id deficiente propria experientia confirmare non valeo.

Nonnulli singultu molestissimo corripiebantur, qui addito moscho mox levabantur. Verum cum existimarem, ob imminutas alvi excretiones cessavisse singultum, a moscho abstinui. Sed brevi iterum rediit, qui exhibito rursus moscho evanuit.

In dysenteria nullis remediis cedente, cum vitium in ultimo solum intestino inest, Hermannus van der Heyde clysmata frigida cum aceto, ex vesica injecta commendat; sed videndum, an non exulceratio in intestino recto adsit, cum inde dolor augeatur.

Dysentericos maxime vexans symptoma tenesmus est, varia auxilia poscens.

Initio morbi sæpe minuitur cremore hordei, decocto althææ, aut seminis lini ano injecto; si progrediente malo mucus pellucidus, tremulus, gelatinæ similis deponitur, rheum in substantia prodest. Cum vero una cum alvi fecibus purulenta excernuntur, aut ab ulcere tenesmus proficiscitur, præter clysmata ex lacte et amylo, modica addita terebinthina cocta, præter aquas item spadanas cum lacte, sequentes pilulæ conducunt.

℞. Gumm. arab. unc. β.
— oliban.
Extract. agrimon. aa. dr. j.
Terebinth. coct. vel
Balsam. de mecha dr. β.
Fiant pilulæ gr. jjj. consperge pulvere liquiritiæ. Sumat tres, quater aut quinquies per diem.

Ad diarrhœam purulentam diriorem compescendam torrefactas glandes quercus commendavit Rosenstein.

Doloribus valde urgentibus paregorica indicantur; sed clysmata ex opio parata circumspectione egent.

Nonnunquam superato jam malo a fecibus duris tenesmus oritur, sanguisque striatus excernitur. Cavendum, ne, quum hæc accidunt, morbum rediisse quis putet, et adstringentia in usum vocet; sed uncia salis amari in libris jv. aquæ solvenda, et sæpius hujus solutionis cyathus hauriendus est, donec mollior alvus excernatur.

Pertinax admodum alvi constipatio post gravem dysenteriam superstes coalitum vel excrescentiæ cujusdam præcludentis suspicionem movet.

Convalescentes quandoque ciborum appetentia privantur, flavescunt vultu, ac viribus franguntur, his, si amarities oris et oppressio

ad scrobiculum cordis animadvertatur, emeticum: secus tinctura rhei aquosa convenit.

Vitandæ dysenteriæ morbo expeditis sunt aëris vicissitudines, nec fructus horæi, nisi caute admodum concedendi, ne in malum idem recidant.

Clar. Zimmermann et Buchan fructus horæos maturos commendant, cum ex præjudicata opinione plurimas dysenterias biliosi genii esse putent, in his quidem fructuum horæorum usus concedi potest, qui in aliis speciebus detrimento erit.

Anno 1762 multi, qui e dysenteria præmature cohibita tympanitici evaserant, ad fratrum misericordiæ nosodochium deportabantur. Hi clysmatibus ex infuso menthæ saturato, emplastro de cumino abdomini adposito, infuso item menthæ ore hausto, et sequente mixtura satis facile curabantur.

℞. Aqu. menth. unc. jv.
Tinct. aquos. rhei unc. j — jβ.
Elixir. stomach. temper. dr. j.
Elæosacchar. menth. ex gutt. jjj.
Sumat altera quavis hora unc. β.

In tympanitide vero alia ex causa orta non tam felicem eventum hæc methodus habuit, verum alia exhibenda fuerunt.

Caput XXXVI.

De Ictero.

Icterus flavus primum, aut niger est, isque majore plerumque cum periculo conjunctus; (Celsus solius icteri flavi meminit) dein febrilis, vel apyretus; denique continuus, aut periodicus, qui sæpius recurrens nonnunquam in perennem mutatur.

Quandoque e spasmis iræ, herniæ incarceratæ, colicæ pictonum, passionis hystericæ, denique ab emeticorum, aut purgantium drasticorum vi inductis; sæpe crassiori e bile etc. sæpius e viscerum abdominalium obstructione oritur.

In aurigenosis totum peritonæum, intestina, et hepar copiosissimis steatomatibus insignis magnitudinis obsessa fuerunt.

Lieberkün mesenterium flavum, et vasa lactea bile impleta, sed gustu nullam amaritiem deprehendit.

Adipales frequentius morbis hepatis sunt obnoxii.

In ictero nigro plerumque et lien infarctus est.

Interdum e dysenteria præpostere ac perverse curata, extitisse morbum regium cum Berolinensibus observavi.

Nascitur item e fecum duritie, ut in gravidis, vel e corticis abusu, qui quandoque, dum per intestina fertur, in massas cogitur indissolubiles, nec motu peristaltico ejiciendas a).

Rarius a plethora hæmorrhoidibus aut menstruis suppressis oritur.

Ductum cisticum concretum aut tophis obstructum observarunt viri clarissimi.

Nonnunquam facile curatur, nonnunquam brevi tempore mortem adfert: interdum, ac niger cumprimis longiore intervallo, teste Junkero, ægros tenet. Novi ipse quempiam ictero nigro laborantem, qui, neglectis omnibus remediis, per complures annos in urbe ambulans morbosum corpus circumferebat.

Nimia bilis raritas icteri causa esse potest, quod calor et sitis major, pulsus celerior, urina ex rubro flava cum simili sedimento monstrat.

Icterus utplurimum in tympanitidem, non raro quoque in ascitam abit, ac tum præcipue, cum albam eamque copiosam ægri urinam red-

a) Medical. observ. and Inquiries by a Society of Physic. in London. Vol. IV. p. 123.

dunt, neque respirandi difficultas, aut dextri hypochondrii tumor medicamentis levatur.

Nonnuquam febre lenta, quæ ictero se adjungit, consumuntur ægri, in his potissimum peritonæum et hepar copiosis steatomatibus obsessum reperitur.

Icterus quartanæ accedens, vel e capitis vulneribus ortus, mali est ominis; ille vero lethalis, qui ex hydrope, aut suppuratione hepatis nascitur.

Alvi fluxu morbus regius solvitur; at cum feces spumant, fœtentque supra modum, et diversissimis coloribus tinctæ sunt, haud procul ab interitu ægri absunt.

Hæmorrhoides fluentes quandoque saluti sunt, sed id propediem viribusque adhuc firmis fiat; alioquin perniciosæ hæmorrhagiæ, iis præcipue, qui ictero nigro affecti sunt, haberi debent.

Cura pro diversitate causæ, et symptomatum differt.

In recens natis tinctura rhei, sapo, et enemata prosunt.

In gravidis, quæ recte antea valebant, non nunquam icterus spasmis, sæpius autem duris, et copiosis, quæ intestinum colon occupant, fecibus ortum debet. Ille antispasmodicis, hic

clysmatibus et medicamentis alvum leniter ducentibus impugnandus est.

Verum ubi proximis ante partum mensibus accedit, aut venæ sectione, aut partu ipso tollitur.

Icterus, id quod perraro evenit, in febribus intermittentibus per periodos recurrens, rursumque apyrexiæ tempore evanescens, is cum febri ipsa cortice impugnandus est.

Aegros tractandos habui, qui post febrem intermittentem cortice fugatam ictero corripiebantur, pulsus eorum naturali parum debilior, præcordia libera, appetitus bonus, alvus mollior, urina pallidior erat, in his ab omnibus evacuantibus abstinui, cortice cum decocto cichorei longius usurpato sanitas constans rediit.

Ira illis potissimum icterum causat, in quibus, cum valent, copiosior bilis secernitur.

His neque ob amaritiem oris emetica, nec ob spasmos opiata præbenda sunt, sed diluentia, subacida, et si alvus constipata sit, tamarindinata, cremor tartari, ac enemata cum diæta tenui sanitatem adferunt.

Icterus ex hæmorrhoidibus, aut menstruis suppressis ortus, cum signa plethoræ apparent, id præcipue postulat, ut hirudines apponantur, vel vena incidatur, semicupia adplicentur, super calida sedeatur, decocta denique solventia ex gra-

mine, taraxaco, tamarindis, et sale medio exhibeantur.

Cavendum ab aloë et medicamentis ex ea confectis.

In ictero e crassiore bile, aut infarctu viscerum abdominalium curationem alvum moventibus ex rheo, tamarindis vel salibus mediis auspicari oportet.

Sal egranum, tœplicense, carolinum ejusdem virtutis esse testatur Cl. Becher a).

Corpore leniter purgato, ad solventia recurrendum est, additis iis, quæ alvum molliorem præstant.

Icterus chronicus, ex abusu spirituosorum per validiora solventia brevi lethalis evadit.

Cum ægri habitu sunt strictiore, cum pulsus celerior, sitis major, ructusque nidore offendentes animadvertuntur, decoctum ex acetosa, taraxaco, radice graminis cum salibus mediis, aut succus taraxaci recenter expressus, vel ejus extractum liquidum cum terra foliata tartari convenit.

Inter decocta solventia illud ex saponaria paratum præstantissimum est, quod ex foliis recentibus, multoque magis e radicibus paratum, ceu sapo spumas agit, maculasque pingues detergit.

---

a) Abhandlung von Karlsbad.

Si lentus admodum humorum motus observetur, ægrique e pallido flavescant, pilulæ ex amaricantibus extractis, gummi ammoniaco, felle taurino, rheo, aut extracto aloës aquoso prosunt.

Saponem, quo antea frequenter usus sum, rarius exhibeo, cum magna dosis ad obtinendum effectum requiratur, et hæc ut Gregory monet, oleo crasso rancido ventriculum lædat.

Prodest abdomen bile inungere, quæ concretas massas in intestinis hærentes fundit, et per alvum evacuat a).

Solventia et alvum moventia externe sæpius in viscerum abdominalium infarctu cum successu exhibui, commendat ea Cl. Akermann, ut viribus ventriculi parcatur, et humores tenaciores citius solvantur b).

Non nimis magna pilularum dosis una vice paranda est, cum diutius asservatæ ita quandoque exsiccentur, ut in corpore non solvantur, sed fere integræ per anum excernantur.

Diuturnus quandoque solventium usus in annosis viscerum obstructionibus requiritur. Nuper virum iisdem, et quidem gravissimis laborantem integræ sanitati restitui, dum per biennium vernali et æstivo tempore succo taraxaci expresso, hye-

---

a) Van Swieten. Tom. I. pag. 205.

b) Medizinische Skizzen.

me pilulis ex gummiferulaceis, et extractis amaricantibus uteretur.

In tumoribus abdominis durissimis præter inunctiones sequens mixtura per longius tempus sumta nonnunquam profuit.

℞. Extract. taraxac. liquid.
Terr. foliat. tartar. aa. unc. β.
Extract. Conii maculat. Linn. gr. x—xx.
Aqu. fœnicul. unc. vj.
Syrup. de duab. unc. j.

Sumat omni tri aut quadrihorio duo cochlearia.

Inunctiones, et memorata solventia absque extracto cicutæ voto non responderunt.

Laudem merentur clysmata Kæmpfiana ex decocto cichorei, taraxaci, saponariæ etc. parata.

Efficacior adhuc est succus recenter expressus dilutus harum herbarum ano injectus.

Oportet ut hæc frequentius sed parca dosi in usum vocentur, ut diutius ab ægris retineri queant.

Ad systema biliarium obstructum sanandum calomel cum terra foliata tartari, vel rheo, vel sapone, et inunctiones hypochondrii dextri adjecto pauco unguento neapolitano commendantur, cum indubitata sit potens mercurii vis solvens; feliciores tamen effectus, ac ab aliis nominatis remediis non experiebar, in nonnullis adhibita omni

cautela ob salivationem secutam desistendum erat; quosdam novi, quibus ob luem celticam mercurialia largiori dosi propinabantur, quin ab hepatis infarctu liberarentur. Cum tamen a viris fide dignissimis laudetur, id quoque in usum adhiberi posse puto.

Ubi a solventibus diutius usurpatis viscerum obstructiones non emendantur, sed æger debilior redditur, aut corpus extenuatur, ab iis abstinendum est, et præter diætam accommodatam ea solummodo locum habent, quæ alvum apertam servant, secus præsto hydrops succedit.

In his ægris scirrhi viscerum abdominalium latent, licet tactu, ut e. g. in concava hepatis parte residentes, non percipiantur. Veros enim scirrhos omnium remediorum efficaciam eludere existimo.

Legitur quidem apud Hallerum, quod in virgine scirrhus lienis durissimus puerperio solutus fuerit, quæ durities verosimilius ab intestino colo fecibus induratis distento repetenda videtur.

Morgagnius exempla refert tumorum duriorum sponte vel datis remediis disparentium. Feminam nobilissimam nosco, quæ plures tumores insignes in abdomine ultra triginta annos absque magno incommodo gerit.

In ictericis, qui hæmorrhoidibus antea laborarunt, ubi nulla plethora, nullus inflamma-

tionis metus, solventibus dictis quidquam extracti hellebori nigri cum fructu additur.

Cum in ictero feces colore naturali dejiciuntur, amaricantia cum roborantibus utiliter adhibentur. Præ ceteris eminet tartarus chalybeatus, qui vix, ut cetera martialia, alvum comprimit.

Quamvis, flavedine cutis evanescente, morbus quoque superatus videatur, cum tamen excrementa cinerei coloris egeruntur, aut scrobiculus cordis oppressus est, extractum taraxaci liquidum, aut si tempus favet, succi herbarum recenter expressi diutius sumendi sunt, qui oleo super infuso, diu in ampullis conservari possunt.

Sunt, quorum ventriculo præcipue jejuno succi infesti esse deprehenduntur; at si eosdem juri carnium, addito vitello ovi immisceas, sine molestia quandoque ferunt.

Nonnullis succi herbarum præsertim antiscorbuticarum nauseam pariunt, hæc addito aurantiorum succo præcavetur.

Salubres quoque sunt aquæ minerales solventes, veluti Egranæ et Carolinæ; sed corpus ante purgare convenit, ne anxietatibus et flatibus nimium ægri conflictentur. Universim tamen aquæ soteriæ majus emolumentum præstant, cum ad ipsos fontes hauriuntur; namque hujus rei causa et cœlum mutandum est, et itinera suscipienda: tum expediti, remotique a domesticis

curis ægri corpus quoque, dum aquas inter ambulandum bibunt, salubrius exercent.

Ab aquis Egranis effectus salutares vix sperandos observavi.

Monendi fontibus medicatis utentes, ne luxuriosius epulentur.

Ubi sub usu aquarum mineralium appetitus deficit corpusve languet, desistere ab iis oportet. Boerhaavius author est, nocere aquas minerales in laxiore corporis habitu, atonia ventriculi et intestinorum.

Pertinacissimum icterum, pluribus medicamentis frustra oppugnatum diuturno fructuum æstivorum recentium usu levavi. Verum ubi ventriculus et intestina admodum laxata, sanguisque nimis solutus est, fructus horæi, præcipiente Tissot, haud ad rem fuerint. Non incongrue animadvertit Ramazzini, quod magnates raro bonos fructus edant, nam qui illorum mensæ apponuntur raritate et pretio æstimantur, et aut præcoces, aut serotini sunt, priores acerbiores, serotini fatui, nullius gratiæ, aut bonitatis sunt.

Commendantur a quibusdam in ictero emetica, cum observatis constet post vomitu rejectam bilem instar glutinis tenacem nunquam postea rediisse icterum, sed caute in his ac provide agendum est, nam diuturna cachexia affectis ob vi-

scera eorum labefactata non sine periculo vomitorium exhibetur.

Quamvis enim vomituritiones et nauseæ percipiantur, eæ tamen persæpe morbi symptoma sunt, neque a saburra primas vias obsidente excitantur. Tum vero, cum nullus dolor, nullus inflammationis metus adest, neque obstructio insignis observatur, atque purgantia et solventia incassum adhibita fuere, tentari emeticum potest, ut compacta materies concussionibus solvatur, et ad faciliorem excretionem idonea reddatur.

Quandoque purgantibus, et solventibus icterus quidem imminuitur, sed vires et pulsus ægrorum collabuntur. Hic solventibus, et evacuantibus supersedendum est, atque ad serum lactis vinosum, vel lenem extracti corticis dosim confugiendum.

Ubi viribus aliquantum confirmatis alvus dura est, levem tincturæ aquosæ rhei, aut unam alteramve salis medii drachmam addere mixturæ cum extracto corticis oportet; dein rursus ad solventia transeundum, iisque tamdiu utendum, donec vultui, urinæ et excrementis constet naturalis color, et hypochondria omnino libera reperiantur.

Neque externa in morbo regio auxilia negligenda sunt, balnea tepida a Cælio Aureliano jam commendabantur.

Quibus hypochondrium tumescit, tactumque

paullo immitius dolet, iis semicupia, cataplasmata, unctiones conducunt.

℞. Spec. emoll. libr. jß.
Sapon. unc. jv.
Conii macul. Linn. unc. jß.
Coque in cataplasma.

Clysmata quoque in ictero laudem merentur. Quodsi feces argillæ similes dejiciantur, ægerque habitu sit frigidiore, saponem aqua solutum injicere convenit, ut bilis vices suppleat. Quamquam hæc sapo haud vocari possit, cum alcali destituta sit, tamen experientia teste lenta solvit, intestina stimulat, et alvum promovet.

℞. Sapon. unc. ß.
Solv. in unc. x. aq. fontis
Injice.

Cum alvus admodum depressa est, et excrementa velut glutine obvoluta apparent, enema ex terebinthina, ovi vitello subacta, et aqua diluta persæpe profuit. Utilissima sunt clysmata ex decocto taraxaci, cichorei, saponariæ parata; ubi vero propensio in diarrhœam observatur, minus conveniunt.

Ceterum unctiones, althææ et calendulæ unguento factæ, non minus conducunt; si malum pertinacius resistat, commode unguenti neapolitani quidpiam admiscueris.

℞. Unguent. alth. unc. jjj.

Unguent. calend. unc. jj.
— neapol. dr. j.

Ova cruda a quibusdam in ictero commendata absque successu exhibita fuisse memini. Quin imo nonnullis ea exitio fuere, dum alia remedia negligebantur, quibus adhibitis fortasse recuperassent salutem ægri.

Cl. Greding belladonnam ægris administravit. Dedit mane, et vesperi pilulam.

℞. Extr. belladonn. gr. xxiv.
Pulv. folior gr. xv.
F. pilulæ ponderis semigrani.

Prima post quamlibet pilulam sumtam die insignis calor corporis, vehementior crebriorque arteriarum, præsertim temporalium ictus, capitis temulentia et largus sudor subsequebantur, quæ omnia majore fecum viridium et urinæ excreta copia diminuebantur; demum rheo, et sale amaro morbus penitus sublatus est a).

Elapsis annis belladonnam in pertinacibus viscerum abdominalium obstructionibus tentaveram; paucis profuit, at plures nullum inde levamen percepere, alii lædebantur.

Quare, nisi in reliquis medicamentis nihil opis sit, vix adhiberi potest; tum vero, et ab hoc desistendum erit, cum appetitus fugit, al-

---

a) Advers. med. pract. Vol. II. P. II. pag. 319.

vus solutior fluit, et corporis languor invalescit.

Ad humores crassos emendandos aquam laurocerasi propinatam fuisse novi, sed ab infido hoc remedio cavendum esse puto, quod testante Cel. Richter sanguinem per urinam et alvum provocat.

Laudatur quidem a recentioribus aqua laurocerasi et effectus salutares obtentos fuisse narratur, sed hoc ulteriore confirmatione eget.

Nunc quædam de ictero periodico notanda occurrunt.

Hic quandoque constrictioni spasmodicæ in hystericis originem debet, licet nuper negatum fuerit, icterum a spasmis oriri posse a). Ipse anno 1752 ictero spasmodico leviore ex ira laboravi.

Eum adesse id argumento est: si nulla in hypochondriis durities notatur, si ægri antea flavescentem faciei colorem non exhibebant, si copiosam eamque pallidam urinam reddunt, denique si facillime irritantur, et ictero motus animi præcesserunt. In hac icteri specie purgantia non conveniunt.

Externe enemata ex carminativis, frictiones

a) An Essay on the Jaundice etc. by William Corp, M. D.

abdominis, et unctiones unguento nervino, carminativo et balsamo embryonis factæ: interne valeriana, gummiferulacea, asa fœtida, amaricantia; et si nulla obstructionis signa appareant, lenia martialia adhibita medicinam huic morbo faciunt.

Nonnulli ægri, quos mars in substantia exhibitus male afficit, ejus extractum commode ferunt.

℞. Rad. valer. sylvestr. dr. jjj.
Gumm. ammon.
Extr. trifol. fibr.
— mart. aa. dr. j.
Asæ fœt. scrupul. j.
F. pil. gr. jjj.
Sumat ter per diem v—vj.

Cum alvus tardior est, rhei quidpiam adjicere convenit.

Vix locus opiatis est, nisi cum paroxysmo ingruente, e. g. post animi motum vehementiorem, ægri sibi abdomen validius constringi querantur.

Tametsi calculi vesicæ felleæ tum quoque, cum nullus icterus aderat, in cadaveribus quandoque reperti fuerint, existimetque vir summus Hallerus, morbum regium periodicum redeuntem a calculis progigni vix posse, eum tamen præsertim in feminis ab hac causa observavi. Hæ

pondus quoddam, doloremque sentiunt obtusum in regione vesicæ felleæ, qui, etsi acutus non sit, tamen omnia constringit, versus ventriculum se extendit, et respirare libere ægras non sinit, tum vomitus accedit, aut irritus vomendi, alvumque dejiciendi conatus.

Nonnunquam similia symptomata ab amurca biliosa profecta cum Hoffmanno vidi; quandoque tamen calculis inferne secedentibus prædicta symptomata absque ictero exstitisse memini.

Forte hi calculi quandoque in flexibus intestini duodeni nascuntur.

Calculi fellei, uti Cl. Sabatier animadvertit, simillimi sunt bili exsiccatæ, ignem facile concipiunt, levesque sunt adeo, ut aquæ innatent.

Colicas sæpius redeuntes gignunt; verum, quod mox memoratus vir tradit, ab iis in intestina delatis inflammationes ac choleras ortas esse, id nondum mihi observare licuit; constat tamen fidis observatis mortem a calculis longioribus transversim positis secutam fuisse.

Calculis biliariis excretis quidam longiori tempore absque incommodo vivunt, sed malum denuo revertitur, vix ullos annoso medicamentorum usu sanavi.

De Bernold flavescentis habitus, tumidulo abdomine, alvo tardiore, præcordiorum angustia laborans diu pilulis ex gummi ammoniaco, ex-

tractis amaris, rheo, decoctis resolventibus cum sale amaro utebatur, his levatus videbatur, sed repente exanimis factus cum pulsu vix sensibili, corpore frigescente, facie cadaverosa metum instantis fati incutiebat; excitantibus validioribus diutius continuatis ad se rediens intra quatuor dies centenos et ultra calculos per anum excrevit, ab hoc tempore contra meam exspectationem incolumis vivit.

Cum plethorici sunt ægri, vena aperienda est, ne ingentibus illis nisibus vasa rumpantur; at ubi spasmi validiores, pulsus debilis, aut gelidus sudor observantur, sanguinem mittere haud oportet.

Hallerus calculos cysticos vomitu rejectos vidit, alii bilem tenacem instar glutinis rejiciebant nunquam postea redeunte ictero. Prope tamen absunt a periculo emetica, cum vasa hepatis disrumpi possint, dum sanguis abdominis in venam portarum majori impetu fertur.

Consultius est decoctum hordei cum melle propinare, ut facilius vomant ægri.

Profuit in hoc malo decoctum ex taraxaco et radice althææ paratum addito pauco sale amaro minori dosi, sed sæpius sumtum.

Cl. Bergius in volvulo, et calculo felleo oleum ricini non sine insigni fructu exhibuit. Dum frequentes vomituritiones cum singultibus urge-

bant, et alia purgantia valida passim fallebant, cochlear unum altera quavis hora sumere cogebatur æger, antequam pharmacum aliquid effecerit. In gratiam eorum, quibus oleum displicuit, idem cum mucilagine gummi arabici vel vitello ovi in emulsionem redegit. Alii, tribus unciis pro dosi datis, in feminis præsertim tenerioribus alvum motam esse observarunt; alii ad v — vj uncias procedere coacti sunt.

Multis in colica pictonum hoc oleum per mercatorem allatum exhibui, sed nihilo majoris efficaciæ erat, quam oleum amygdalinum cum manna consociatum, quod crebrius, sed majore dosi, ac Tronchin præcipit, optimo effectu dedi.

Nuper tamen aliquoties in urbe oleum ricini ex seminibus hic Viennæ expressum in cardialgia cum vomitu et pertinaci alvi obstructione cum aliquo levamine propinavi.

Optandum esset, ut ricini cultura propagetur, quem in Hungaria vidit Cl. Friburgensis Professor Mederer a), cum remedium hoc, gustu non ingratum ob pretium majus, quo hic venditur, paucis ex re, et usu esse possit.

Clysmata emollientia sæpius injicienda, et cataplasmata ventri admovenda sunt. Semicupia vix ferunt inquieti ægri.

---

a) Hungerbühler dissert. de oleo ricini. Friburgi Brisgojæ 1780.

In summo dolore opium magna quandoque dosi propinandum est, tum quod eum mitiget, tum quod spasmos sopiat, forte ductum cysticum aut communem constringentes.

Expedit, simul decoctum althææ, vel graminis saturatum sæpius haurire.

Extractum hyosciami recte animadvertente Cl. Wurzer quidem minus alvum cohibet, sed nec tam cito, nec tam certe effectum præstat.

Extra paroxysmum succus taraxaci expressus, aut extractum ejus liquidum cum terra foliata tartari longissimo tempore sumendum, interjecto aquæ Sedlizensis aut Bilinensis usu, ut alvus in dies mollior persistat.

Multis hinc in usu familiaris erat aqua aërea, quæ arcani nomine ex Bohemia allata venditur; ipsa vero mera salis amari in aqua solutio est, cui exigua selenitæ portio admiscetur, ut lagena, in qua circiter 8. unciæ aquæ insunt, salis uncii jj. β. et dr. j. gypsi contineat a).

Sæpius calculo felleo laborantibus balnei sulphurei Baadensis usus profuit. Plurimum quoque opis attulit equitatio, aut itinera diuturniora instituta.

Specificum adversus calculos cysticos mihi nondum innotuit.

Trales a thermis carolinis et Cl. Mellin ab

---

a) Hornstein dissert. 1777.

aëre fixo desideratum effectum haud sequi testantur.

Sal tartari multa aqua dilutum quandoque cum successu propinavi, sæpius spem fefellit.

Ingenhouz aqua mephitica alcalina ab ictero se liberatum fuisse scribit, quo sexies unius anni spatio affligebatur, alium ictero chronico ad omnia remedia solida laborantem dupplicata aquæ mephiticæ dosi quotidie assumpta perfecte curatum vidit.

Practici ab omni præjudicio alieni testantur, quod terræ alcalinæ, soda, aqua mephitica speratum solamen non præbuerint, quod a multis promittitur.

Etsi cum Cl. Cullen sentiam, haud peculiarem in specifico a Whitt proposito vim ad solvendos calculos felleos esse, nihil tamen obstat, quo minus tentari possit. Constat duabus partibus ætheris vitrioli, et una olei stillatitii terebinthinæ. Dantur guttæ xjj—xx et ultra sacchari frustulo instillatæ. Hac mistura sumta seri lactis clarificati, vel aqua hordei unc. vj. potantur. Hujus remedii usus in plures menses ducendus est, et cum aliquanto calefaciat, eodem tempore ptisanæ refrigerantes et demulcentes cum ejusdem generis diæta præcipiendæ sunt.

Tentare licebit hoc remedium in ægris qui vitam sedentariam tristem ducebant, alimentis

pinguibus, farinaceis utebantur, quorum faciei color ex pallido luteolus est, qui inflatione et anxietatibus post pastum torquentur, feces limosas deponunt; minus tutum hoc remedium videtur, ubi urina rubro flava, sitis et calor major observantur.

Ante quadraginta annos frequenter post pastum (licet sobrie vivam) pondere in regione ventriculi, anxietate præcordiorum, alvo difficiliore, inflatione abdominis vexabar, malum ab affectione flatulenta repetens ob amplissimam et tædiis onerosam praxim de anno in annum curam ad tempus magis commodum differebam, sed repente cardialgia intolerabili, summis anxietatibus, vomitu, colore auriginoso, turgescentia hypochondrii dextri corripiebar; in paroxysmo per opiata, extra paroxysmum per solventia evacuantia clysmata ejectis per alvum concretionibus calculosis levatus, sed non curatus fui, rediens malum itinere longiori quater instituto diu silebat. Sæpius adhuc gravia incommoda præcipue post ingratum animi affectum sentio, sed ab eo tempore, quo sale amaro ad alvum quotidie fluidiorem servandam utor, infernales illos cruciatus non experior.

Dolendum quod in pharmacopœis nostris vix sal amarum genuinum prostet, quod quidem mi-

nus amarum, sed meo palato magis ingratum est et effectus longe inferiores præstet.

Qui calculis felleis laborant, nec vitam sedentariam agant, nec alvum obdurescere sinant ; omniaque evitent, quæ bilem tenaciorem, et crassiorem reddunt, nec moestitiæ locum præbeant, quæ generationi hujus calculi plurimum favet.

A compressione abdominis cavendum in multis etiam aliis affectibus noxia, hinc sapientem legem, vestes amplas portandas dedit Lycurgus.

Caput XXXVII.

De Hæmorrhoidibus.

In curandis hæmorrhoidibus parum ad summam rei facere videtur, utrum eæ ex systemate venæ portæ, an e vasis hypogastricis, an e venis, aut arteriis fluant.

Aliæ cœcæ sunt: fluentes aliæ.

Utræque viris sunt, et matura ætate hominibus, quam juvenibus familiariores.

Experientia constat, teneros infantes quandoque hæmorrhoidibus laborasse.

Verum huc referri non debet sanguis per anum dentitionis tempore fluens, uti aliquoties observavi, qui, ubi primum erupere dentes, sistitur. Nonnunquam tamen vel ob majorem sanguinis profluentis copiam vel ob summam debilitatem decoctum corticis peruviani feliciter adhibui.

Nunquam hæmorrhoides animadverti, quæ rite singulis mensibus, catameniorum instar flu-

xissent, licet id accidisse practicorum observatis constet.

Cavendum ne omnis lumborum aut nuchæ dolor pro affectu hæmorrhoidali habeatur, et inconsulte aloëtica propinentur.

Quandoque cruenta alvus absque affectibus hæmorrhoidalibus excernitur.

Causæ hæmorrhoidum sunt: plethora, seu illa per totum corpus diffusa sit, sive circa hæc solum vasa consistat, orgasmus sanguinis, tum corporis exercitiis, tum potibus spirituosis inductus; dein sanguinis per venam portæ impeditus transitus, ut cum viscera abdominalia obstructa, aut humoribus spissioribus atrabilariis referta sunt; denique ea omnia quæ vasa hæmorrhoidalia comprimunt: ut graviditas, feces duræ aut consuetudo latrinis diutius insidendi, aut ea, quæ humores ad vasa hæmorrhoidalia magis derivant, ut equitatio, abusus aloës, vel piperis etc. item quæ sphincterem irritant, ceu calculi vesicæ, suppositoria, vermes, hirudines intempestive adplicitæ etc.

Inter causas hæmorrhoidum recenseri etiam debet amarorum abusus, quo teste Spielmanno intestina exsiccantur, alvus obstruitur, et hæmorrhoides excitantur.

Nostra ætate homines frequentius Vindobonæ hæmorrhoidibus obnoxii sunt, etsi modera-

tius vino utantur, quam avi eorum. An ex abusu aromatum, condiendis cibis adhibitorum, an quod rarius corpora exerceant, rhedisque frequentius vehantur?

Hæmorrhoides certis temporibus fluentes salubriores plerumque vagis sunt.

Quibus eæ jam a tenera ætate, præsertim copiosius fluunt, illi raro senectutem attingunt, sed ex hydrope ante, vel ictero intereunt.

Lienosis et melancholicis prosunt hæmorrhoides teste Galeno; sed atrabilariis debilioribus, aut jam cachecticis sæpe exitio sunt, præcipue si majore copia sanguis excernatur.

Noxiæ sunt eæ, quæ febres profligatas subsequuntur, cum plerumque visceribus obstructis ortum habeant.

Lædunt hæmorrhoides tum illos, apud quos supprimuntur, tum eos etiam, quibus abundantius, quam par est, fluunt.

Suppressis apoplexiæ, morbi inflammatorii obstructiones viscerum abdominalium, fistulæ et gangrænæ vasorum hæmorrhoidalium oriuntur: ast prolixius manantes cachexiam et hydropem generant.

Si hæmorrhoides etiam illis, quibus alias rite defluunt, ita quandoque manare desinunt, ut nulla propterea functio corporis turbetur, natura medicamentis lacessenda non est; cum vero

calor, cephalalgia, anxietas circa hypochondria, aut lumborum dolor nascitur, venæ sectio, lenia e tamarindis, crystallis tartari etc. confecta purgantia, emulsiones nitratæ, semicupia tepida cum diæta tenui et. quiete locum habent.

Cavendum a remediis aloëticis aliisque, quæ hæmorrhoidibus aperiendis utiles jactantur, ne inflammatio, aut fistulæ succedant.

Ubi vero hypochondria inflata sunt, et corporis habitus flavescit, vitaque prægressa est sedentaria, decoctum e taraxaco, saponaria, tamarindis cum sale medio præbere oportet.

Si anni tempestas favet, succus taraxaci expressus proficuus est.

Etsi fructus horæi maturi ad attenuandum sanguinem crassiorem in systemate venæ portarum multum valeant, illis tamen., quorum ventriculi, et intestinorum compages minus firma est, non adeo prosunt; quod uberius ingesti, flatus concitant, quibus intestina tenduntur, venæ comprimuntur, et molestiæ hæmorrhoidales augescunt. Similibus extracta liquida, ut graminis, taraxaci magis commoda sunt.

Ob solum cruorem atrum et piceum vasorum hæmorrhoidalium solventia propinare, non convenit, cum in reliquo corpore persæpe minor sanguinis consistentia sit.

Cum hæmorrhoides tument, atrectatæque do-

lent, cataplasmatibus emollientibus utendum. Multis sequens lenimen attulit.

℞. Micæ panis albi unc. vj.
Pulpæ pomor. acido dulc. unc. jjj.
Coque cum aqua, donec cataplasmatis speciem induant, adde
Aceti litharg. gutt. xv—xx.

Nec cataplasmata, neque insessiones nimis calidæ conveniunt.

Abstinendum in ejusmodi ægris ab adstringentibus. Novi virum, qui hæmorrhoidibus cæcis, maximum ab attactu dolorem cientibus, laborabat. Hic applicitis cataplasmatibus emollientibus jam plurimum levatus, suadente quopiam acetum cataplasmati admiscuit. Verum illico tumentes sibi venas vehementer constringi sensit, et acerbis per aliquot dies doloribus conflictatus est.

Quidam hæmorrhoides tumentes frigida lavandas præcipiunt. Quod quidem habere locum initio potest, sed ubi pars affecta, aut inflammata est, aut cum tangitur, valde dolet, malum augetur.

Clysmata fecibus eliminandis accommodatissima sunt, sed tres, quatuorve uncias excedere haud debent, ne vasa comprimantur.

Cavendum, ne salia enematibus adjiciantur;

sed ad alvum eluendam manna iis addita plurimum proficit.

Cum hæmorrhoides inflammatæ sunt, graviterque dolent, conuli e pepone in suppositoria conformati, applicitique multum laudantur, sed eos, ubi tumor et inflammatio major urget, ob doloris acerbitatem non ferunt ægri.

Si dictis adminiculis hæmorrhoidum tumor non emendetur, metusque sit secuturæ inflammationis, sanguis hirudinibus, aut lanceola educendus est; quod postremum præcipue præferri debet, cum tumor sanguinem grumosum] contineat, aut tunicæ vasorum adeo crassæ sint, ut ab hirudinibus perforari non possint.

Ubi nihil adest, quod indicit, sanguinem educi oportere, unguentum linariæ cum quarta aut sexta parte unguenti nutriti adhibitum levat, cui, si urgeat dolor, opium admisceri potest.

Hæmorrhoidibus cæcis ac tumescentibus curandis nihil esse æque opportunum asserit Ill. de Haen, atque oleum chalybeatum eorum, qui chalybeis instrumentis conficiundis victum quærunt.

Chardin oleum naphthæ ut specificum ad injungendas hæmorrhoides commendat.

Quandoque hæmorrhoides interne descendunt, et a sphinctere ani constringuntur, unde gravia symptomata exsurgunt. Sed hæc infringuntur, cum digito in anum inserto illæ reponuntur,

Si varices flaccidæ sunt, absque sensu doloris, vinum rubrum, cui flores balaustiorum incoquuntur, vel alumen vino rubro solutum externe proficue adhibetur.

Postquam nihil his omnibus profectum est, exstirpationem Cel. Schmucker utilissime instituit, et ligaturæ anteponit, ex qua dolores gravissimos, constrictiones intestinorum, et spasmos mortiferos exortos fuisse, de Haen vidit. Ego tamen deligationis cum successu institutæ memini.

In multis hæmorrhoides, ut verbis Celeb. Frank utar, non tam ob sanguinis per abdominalem morbum circulationem impeditam, quam a solius tunicæ intestinalis intimæ laxitate, et venarum ano vicinarum atonia speciali, a multis causis facile extricabili, intumescunt. Hinc sola sæpe saccorum ejusmodi tunicæque ano propendentis, et infiltratæ vel callosæ exstirpatio intestinalem hunc morbum, recte monente Ill. Theden a) radicitus tollit.

Hæmorrhoidum supra modum fluentium indices sunt, fractæ vires, facies pallescens, pulsus debilis et inæqualis. Raro hic venæ sectio conveniens fuerit, cum frequenter hydrops pectoris inde sequatur.

---

a) Neue Bemerkungen und Erfahrungen. Erster Theil, Seite 56. 59.

Hæmorrhagia ex vasis externis orta, quæ quidem rarius occurrit, bolo armena vino rubro soluta, pannis linteis applicata, vel spongia aceto imbuta, vel linteis carptis aqua aluminosa madidis, sistitur.

Si profundius in recto hæreant vasa sanguinem fundentia, alvo elota, injectiones ex decocto millefolii, vel etiam ex decocto radicis tormentillæ, vel bistortæ conveniunt. Si vero post has dolor, incommodus calor aut tensio percipiatur, desistere oportet.

Commendantur quoque clysteres, et semicupia frigida, sed hæc, cum ægri exhausti sunt et habitus corporis frigidus observatur, vix suaserim.

Laudant item nonnulli suppositoria ex adstringentibus v. g. corticibus granatorum parata; sed hæc ab ægris, cum nimium irritent, vix feruntur, neque adjumento esse possunt, si mali fons profundius latet.

Hæmorrhoidibus plus nimio fluentibus, interne decoctum millifolii (quod in colica hæmorrhoidali mirum quantum prodest) exhibendum, antiquis temporibus lac capræ millefolio nutritæ in hæmorrhoidibus mucosis laudabatur; si vero hæmorrhagia urgeat, ad decoctum corticis, vel nonnunquam ad alumen confugiendum erit.

Optimos autem effectus in hæmorrhoidibus nimium fluentibus, et hæmorrhagia uteri a vitriolo martis exhibito observavi.

Commendaverat ipecacuanhæ in cohibendis hæmorrhagiis vim egregius ceteroquin, sed in condendis aphorismis præcox Baglivius. Quibusdam eam salubriter adhibui, sed in plurimis, cum eventus non præsto votis respondisset, præcipue hæmorrhagiis cum periculo urgentibus, ad vitriolum martis confugi.

Opium haud congruit, quod humorum orgasmum, et alvi obstipationem auget, et, ubi viscera abdominalia infarcta sunt, obest. Tum solum locum habere videtur, cum tenesmus observatur a stimulo in intestinis ortus, qui fluxum sanguinis ciet, excitumque sustentat.

In chronico hæmorrhoidum fluxu immoderatiore e laxatis visceribus diuturnum rhei usum, et lenia martialia parce præbenda Cl. Tralles commendat.

Ubi limatura ferri sumta alvus nimium præcluditur, præcordiorum anxietates, vel cardialgiæ nascuntur, idem laudatus vir saccharum cum cremore tartari marti addendum suadet.

Quibus vero hæmorrhoides rhabarbaro irritabantur, pilulas ex extracto millefolii cum limatura martis exhibui.

℞. Extr. millefol. unc. ß.
Limat. mart. non rubig. dr. j.
F. pil. gr. jjj.
Sumat ter per diem jjj—v.

In nimio hæmorrhoidum inveteratoque fluxu, quem cachexia comitabatur, hydropis metum adferens, continuatum balnei Pyrwartensis in Austria usum admirabiles prorsus successus habuisse memini.

Cum vasa vesicæ cum hæmorrhoidalibus nonnunquam communicent, hæmorrhoidum loco mictus cruentus exoritur; cui, si ægri ceterum recte valeant, nihil obmovendum, stimulantia solum, aromatica, spirituosa ac diuretica fugienda sunt. Ubi vero dolor et ardor pubis observatur, et pulsus plenus, durusque tangitur, tum vena incidenda est, et emulsiones ac medicamenta leniter alvum moventia, veluti ex tamarindis et manna propinanda.

In suppressione urinæ ab hæmorrhoidibus sanguisugæ perineo oppositæ juvant.

Ardor inter mingendum gummi arabico aqua diluto, mixtura oleosa aut decocto salep mitigatur.

Novi adstringentibus imprudenter exhibitis inflammationem, et suppurationem lethiferam successisse.

Huc referenda sequens curatio videtur. Monachus quispiam ante complures annos sæpe hæmorrhoidum fluxu absque incommodo laborans, cum æstuante sirio iter institueret, vinumque largius biberet, repente mictu cruento afficiebatur, qui et insessibus auctus, et variis pharmacis datis exasperatus est. Demum æger meam opem imploravit. Huic præcepi, ut sellæ pertusæ, quæ ligneo operculo concavo tecta erat, ita insideret, ut vapor aquæ calidæ suppositus per foramen tenue, in operculo ligneo apertum, anoque respondens, eo tantum perduceretur. Una jussi lintea aquæ glaciali immersa regioni pubis applicari; quo facto cum post biduum mictus sanguinis sileret, et vasa hæmorrhoidalia intumescerent, his lanceola apertis, integra sanitas rediit.

Cum hæmorrhoidum vi supressa urina est, non modo diuretica omnia relinquenda, sed ne moderatus quidem nitri usus tutus esse videtur. Prosunt quidem diluentia ac demulcentia, ut decoctum althææ interne sumtum et balnea, semicupia, clysmata, aut fomenta emollientia exhibita, sed sæpe cum hæc expectationem omnem fallerent, hirudines, perinæo appositæ, levamento fuerunt.

Qui hæmorrhoidibus laborarunt, vitare de-

bent diætam siccam et alimenta aromatica, multas feces aut flatus generantia, cum quandoque a solis diuturnis flatulentis affectibus hæmorrhoides nascantur.

Cavendum etiam, ne transpiratio supprimatur, nam frigore incaute admisso insultus hæmorrhoidales redire solent.

Vitanda deinde alvi obstipatio, ad quam prohibendam plurimum conferunt lenes Sedlizensis aut Bilinensis aquæ doses sæpius sumtæ: neque sequendi sunt illi, qui magnopere metuunt, ne ani fistulas salia progignant.

Sequens remedium cum successu exhibui.

℞. Flor. Sulphur. unc. ß.
Elect. lenitiv. unc. jj.
Syrup. althææ q. s.

Minus ad hunc finem conducit rheum, quo diutius sumto flatuum incommoda vix tollenda, et alvi obstructionem clarissimi mecum viri observarunt.

Constat aloëtica in vasa hæmorrhoidalia potentius agere, hinc ad alvum movendam cholericis et sanguineis nocent, frigidis tamen, quorum feces quasi limosæ, pauca dosi exhibere licet.

Monendi sunt, qui hæmorrhoidibus vexantur, ne anum charta bibula extergant, sed spongia utantur aqua frigidiuscula madida.

Maximum equitatio hæmorrhoidibus levamen adfert; sed cum hæ dolent, ferre illam ægri nequeunt, aut certe metuendum, ne inflammatio oriatur.

Qui hæmorrhoidibus fluentibus quondam obnoxii, postea iisdem liberati fuere, modicis egent venæ sectionibus, lenibusque purgantibus, ne alia mala succedant.

Caput XXXVIII.

De Arthritide.

Inter arthritidem et podagram, docente Ill. van Swieten, hoc interest, quod hæc, etsi, cum inveteravit, plures simul, aliosque ex aliis articulos occupet, principio tamen pedes solum petat; quod nil tale opinantibus ingruat, nec diuturni esse primi cjus impetus soleant. Arthritis vero febre continua inchoat, torquetque diutius, at plerumque non redit, complures enim, qui gravius hoc morbo laboravere, per omnem deinceps vitam immunes ab eo fuerunt.

Dividitnr in febrilem, et non febrilem: recentem, et confirmatam: veram et spuriam.

In vera dolorem sequitur tumor: in spuria tumor, dolorque una accedunt.

Arthritis acuta sæpe in chronicam abit.

Haud juvat disceptare, in ligamentisne et articulorum capsulis, ut Boërhaavio et Meadio visum, an, ut Hallerus censet, in ipsa, cute,

vel in nervis cuti subjectis arthritidis sedes figenda sit.

Multum arthritis cum rheumatismo convenit, iisdem pene fontibus utraque derivatur, veluti e dysenteriis, transpiratione, aut sanguineis fluxibus subpressis, scabie retroacta, abusu spirituosorum, fonticulis, et ulceribus chronicis coalitis, venenis saturnalibus, vaporibus mercurii, aut arsenici.

Eodem fere modo uterque morbus solvitur, ut sudoribus, urina mucosa, fluxu alvi, furunculis, pustulis, ulceribus, aliisque exanthematibus.

Rheumatismus ab arthritide hoc maxime differt, quod hic nec hæreditarius sit, nec contagione contrahatur, neque omnem membri vel articuli mobilitatem tollat.

Juniores a subito corporis incremeuto levioribus arthriticis doloribus vexantur, sponte evanescentibus.

In arthritide quandoque materia viscidi instar puris tussi educitur, ut minus peritis phthisis præsentis suspicionem moveat.

Arthritis conjuncta cum febre, quæ aëre humido, frigido frequentius occurrit, eandem, quam rheumatismus medicinam poscit a).

---

a) Tom. I. Cap. XXIII.

Cavendum, ne febris ob solos lancinantes artuum v. g. crurum dolores pro arthritica, vel rheumatica habeatur, cum hi dolores sæpe saburræ in abdomine hærenti originem debeant, quod nexum nervorum abdominalium consideranti facile patet. Hæ febres institutis largioribus venæ sectionibus, datis diaphoreticis, et neglectis evacuationibus longæ aut periculosæ evadunt.

Hæmorrhoides fluentes morbum non tollunt, sæpe tamen leniunt.

Urinæ turbida cum sedimento mucoso, aut furfuraceo arthritidem febrilem levat. Verum ubi ægri nimiam pallidi et aquosi lotii copiam cum virium detrimento mittunt, decocto corticis confirmandi sunt; atque ubi hoc nihil proficitur, ad camphoram, et vesicantia confugiendum est.

In eo, quem de febribus vulgaveram, tractatu nimiam videri dixeram nitri dosin a Broklesby præscriptam. Id postea experimento Cl. Nicolai comprobatum fuit, qui, cum drachmam nitri dimidiam singulis horis aliquoties sumpsisset, frigus quoddam veluti glaciale in ventriculo sensit, continuatoque nitri usu appetitum imminui, et ventriculum debilitari expertus est a).

In arthritide non febrili potissimum magne-

a) Recept und Kurarten. pag. 582.

sia nitri, aut sale amaro purgandum est corpus; dein in morbi causam investigandum.

In malo a scabie retropulsa nato, flores sulphuris, spiritus fuliginis, decoctum sarsaparillæ vel antimonialia pro diversitate symptomatum, et subjecti locum habent.

In arthritide, quæ ex atra bile enata est, efficacissimi sunt succi expressi herbarum ex taraxaco, beccabunga. Si acidum in corpore prædominetur, acetosæ loco nasturtium aquaticum admiscere oportet. Incipiendum a minori dosi e. g. unciis tribus, tum ad quatuor et quinque nychthemero progrediendum, si id ventriculus patitur.

Exiguæ virtutis sunt conservæ, quæ tertia, aut quarta quavis hora ad drachmam unam aut alteram præbentur, cum æger vix tres, quatuorve succi drachmas intra diem ingerat.

Dum arthritis ab acido nata est, sapo largiore copia cum amaricantibus exhibendus est; sanguineis tamen nocet sapo.

Sapo hispanicus, venetus ab hujate Debreczinensi non differt; sufficit in usum medicum saponem ex bono oleo paratum adhibere; rejiciendus vero ex sebo rancido vetusto confectus, qui odore et sapore ingrato facile dignoscitur.

Si sapo loco alcali ex borace paretur, una hujus pars duas olei pressi in saponem pulcher-

rimum, aqua facile solubilem, teste Spielmann, vertit, quin borax decomponatur a).

Celeber. de Born summis doloribus lumbi, et ischiaticis corripiebatur. Nihil externa remedia, nihil demulcentia, aut paregorica ipsa profuerunt; demum recordabar ægrum longissimo tempore contra meam mentem spiritu vitrioli diluto usum fuisse, hinc sequentem mixturam tentavi.

℞. Olei amygdal. recent. press. unc. jβ.
Syrup. alth. unc. jj.
Vitell. ovor. q. s.
Diu simul tritis et subactis, add.
Aqu. commun. unc. x.
Sal. tartar. dr. β.

Hoc medicamento binis vicibus absumto, dolores immanes tollebantur.

Laudantur in arthritide alcalina. Ingenhouz commendat salis alcalini drachmam dimidiam bis de die. In arthritide febrili nocua foret, sed et in non febrili hæc quantitas nimia videtur.

Alcali et terræ calcinatæ non omnes solamen promittunt, quod speratur monente Cl. Delladecima.

Ubi a transpiratione suppressa arthritis absque pulsu pleno et forti exstitit, tum, si levius

a) Bergius M. M. Tom. I. pag. 150.

malum est, mixtura Hoffmanniana, pulvis Doveri et infusum florum sambuci: si gravius, camphora, vesicantia, decocta suderifera locum habent.

Oritur et arthritis a chlorosi, et menstruis suppressis, quæ frictionibus, saponaceis, amaricantibus, myrrha, quandoque aloëticis, et balneis sulphureis curanda est.

Nonnullis pulchre prosunt aquæ minerales, quæ ferrum, et sal amarum continent.

Si hystericæ sæpius rheumaticis aut arthriticis affectibus corripiantur, cortex cum antispasmodicis indicatur.

℞. Extract. cort. peruv.
Pulv. — —
Gumm. galban.
Rad. valerian. aa dr. j.
Extract. stipit. dulcamar.
Castor. aa scrup. j.
F. l. art. pilul. gran. jjj.
Deargentur.
Sumat bis de die Nro. v—vj.

In arthritide non febrili infusum chamædryos juvit; vidi tamen aliquos, quorum ventriculus inde male afficiebatur.

Egregium hujus morbi remedium aconiti extractum expertus sum. Incipitur a dimidio grano: at si necessitas urget, ad tria, quatuorve

ascenditur, quæ tertia, vel quarta quavis hora exhibentur. Si pulsus præterea debilis, et pallidior urina observetur, feliciter aconito camphora jungitur.

Extractum aconiti diutius asservatum de virtute sua perdit.

In arthritide diuturniore prosunt flores sulphuris cum antimonio, post quos decoctum bardanæ, saponariæ largiter haurire oportet.

℞. Flor. sulphur. dr. vj.
Antimon. crud. dr. jj.
Sacchar. unc. j.
F. Pulvis.

Summat bis, ter per diem drachmam dimidiam.

Delicatioribus parari inde rotulæ possunt.

℞. Flor. sulphur. dr. jjj.
Antimon. dr. j.
Sacchar. candidissim. dr. vj.
F. pulvis subtilissimus. Formentur cum syrupo kermes rotulæ drachmæ dimidiæ.

Sumat ter, aut quater per diem drachmam dimidiam.

Præferuntur flores sulphuri crudo, cum hoc quandoque tenesmum, et tormina excitet; si ei aliæ mineræ admixtæ sint.

Aegris pallido habitu, et imprimis frigido,

quos arthritis iterato corripuit, sæpius hæ pilulæ profuere.

℞. Flor. sulphur. unc. β.
Resin. quajac. dr. jj.
Antimon. crud. dr. j.
F. pilulæ gran. jjj.
Sumat ter per diem 4—6.

Adversus arthritidem Santifort lignum quassiæ commendat, sed id non majoris ac reliqua amaricantia virtutis esse puto.

Nullum in arthritide chronica decocto sarsaparillæ, et antimonii præstantius remedium animadverti.

℞. Sarsaparill. unc. jv.
Antimon. in petia ligati dr. vj.
Coque in libr. xj. aqu. ad dimidii consumtionem. Add.
Liquirit. unc. j.
Semin. anis. dr. jj.

Infunde per octavam horæ partem. Colatura exhibeatur.

Dosis ingredientium et decocti bibendi pro diversitate ægrorum, et morbi pertinacia variat.

Quidam exiguam his remediis efficaciam tribuent propterea, quod antimonium sulphure adhucdum addito iners evadat. Sed an non ex hac commixtione tertium quoddam corpus, agendi, et afficiendi vi præditum, exsurgere potest?

Boerhaavius nullum ab antimonii decocto

fructum expectat, cum illud humoribus nostris non solvatur, sed equos antimonii usu pinguescere novimus.

Mercurii adhibiti vestigia in humores et in salivam nunquam deprehendi potuerunt a Wright; juxta experimenta in cane vivo instituta, ferrum secundas vias non intravit a), saluberrimus tamen horum remediorum effectus quotidiana experientia constat.

Præterea tam a pulveribus, quam decocto cum antimonio secundissimos successus in nosocomio vidimus. Ut reliqua taceam virum tractandum habui, qui arsenico sumto dirissimis doloribus arthriticis, et febre lenta vexabatur, cui in manuum æque ac pedum digitis tophi nascebantur, capillique omnes fluebant. Eum ego lacticiniis, pulveribus ex sulphure et antimonio, et decocto sarsaparillæ per annum continuato, interposito balneorum dulcium usu, valetudini restitui.

Sapo antimonialis Nro. 33 a gr. jv—vjjj bis, ter de die datus sæpe profuit.

Sub internum antimonii usum ab acidis abstinendum est, ne parte regulina in ventriculo soluta, vomitus et tormina nascantur.

Monendi sunt ægri, ut remediis sudoriferis sumtis corpus probe contra injurias aëris muniant,

a) Ab Hildebrand inst. mat. med. pag. 84.

ne ab humoribus sub cute stagnantibus œdema vel alia mala subsequantur.

Mercurialia præcipiente Monroo, minus idonea sunt arthriticis, nisi hæc a malo celtico originem trahat.

In gravissima arthritide laudatissimis remediis pertinaciter resistente ob gonorrhœas aliquot intempestive subpressas, et dolores noctu immaniter auctos celtici quidquam latitare suspicans, felici eventu sequenti remedio usus sum.

℞. Aquil. alb.
Sulphur. aurat. antimon. aa gr. β.
Extr. aconit.
Camphor. gummi arabico subactæ aa gr. j.
Lapid. cancror.
Sacchar. aa scrupul. β.
F. pulv. Sumat bis de die unum, tertium addito opio ante cubitum exhibui.

Præterea balnea tepida imperavi. Ubi signa salivationis adparebant per tempus ab aquilæ usu abstinui.

Nonnullis cum fructu sequenti methodo usus sum:

℞. Magnes. mur. unc. β.
Flor. sulphur. dr. j.
Sacchar. dr. jjj.
Aethiop. antimon. dr. β.

Extr. aconit. scrupul. ß.
F. pulvis.

Sumat bis de die quantum capit cuspis cultelli; ad vesperas vero:

℞. Aquil. alb.
Sulphur. aurat. antimon.
Camphor. aa gr. ß.
Sacchar. drach. j.
Extract. thebaic. gr. ß—jj—jjj.

Præterea duas, tres libras decocti ex una parte sarsaparillæ et binis partibus radicis astragali exhibui.

Elapso anno binos hac arthritidis specie, per longum tempus adhibitis in vanum laudatis remediis, cruciatos sanavi; unus horum viginti quatuor grana quotidie assumpserat, quin multum dolores lenirentur; opii dosim successive minui.

Largiorem interdiu decoctum usum imperavi.

Videndum, ne ob unam hanc causam, quod noctu dolores ingravescunt (namque et arthriticis accidere hoc persæpe solet) pro venereo malum habeatur.

Plurimis abhinc annis ætate provectiore femina, quæ nunquam venereo symptomate affecta erat, gravissimis doloribus arthriticis, noctu ingravescentibus conflictabatur. Qui accersebatur medicus mercúrium primum dulcem, tum subli-

matum exhibuit; unde dolores artuum intolerabiles, febricula lenta, et fœda pedum ac nasi ulcera consequebantur. Post hæc vocatus ego flores sulphuris et decoctum sarsaparillæ cum lacte suasi, queis sumtis medicaminibus symptomata decrescebant; verum cum tardius curatio procederet, antimonium addidi; ex quo brevi ægra penitus convaluit.

Narcotica pertinaciorem arthritidem reddunt, quandoque tamen, si dolores immanes sint, in sensibilibus ad ea recurrendum est.

Quandoque ab hæmorrhoidibus suppressis dolor ischiadicus vexat, tunc lenia evacuantia, venæ sectio, hirudines ad anum prosunt, si vires id ferant.

In arthritide febrili, quamvis venæ sectio præmittatur, opiata nocent. Raulinus post primas statim phlebotomias vespere narcotica in rheumatismo suasit, sed hæc curandi methodus observante Illustr. van Swieten haud e sententia cessit a).

A nonnullis oleum terebinthinæ in arthritide commendatur.

℞. Olei terebinth. dr. jj.
Mell. unc. j.

Sumat mane et vespere quantum duo cochlearia coffee capiunt.

---

a) Tom. V. pag. 668.

Profuit hoc quidem testante Herz a) in affectionibus coxæ sine febri, at non in reliquis arthriticis doloribus. Neque sensum doloris in affecta parte inde ortum, nec vim remedii diaphoreticam vir supra memoratus observavit.

Sudor persæpe arthritidem levat, sed per urinam cum sedimento albo copioso citior cura absolvitur.

Superata arthritide, cum magna ægros debilitas afficit, aut sudoribus corpus diffluit, decoctum corticis peruviani, frictionesque conveniunt.

Varia in arthritide commendantur externa adjumenta. Sic in pertinacissimis lumborum doloribus septem vel octo cucurbitæ non scarificatæ loco affecto vel circa eum applicitæ sæpius profuere.

Contra dolorem ischiadicum jam olim repetitum vesicatorii usum ad partem dolentem commendaverat Riedlinus b), nunc id accuratius Cotunnius dilucidavit.

Recordor, quod Ill. van Swieten urinæ retentionem ex arthritide imprudenter fugata, mox ad regionem pubis et ad os coccygis applicato vesicante curaverit.

---

a) Briefe an Aerzte II. Sammlung.

b) Εντομα noxia et utilia Friburgi Brisgojæ 1751.

De Haen dolorem fixum nullis remediis obedientem calce viva cum melle mixta sanavit.

In surditate rheumatica lanam bombicinam succo alii imbutam auribus imponendam suadet Bergius. Tentaveram id aliquoties, sed nunquam levamen, imo dolores acerbos senserunt ægri a).

Quidam frigida adplicari volunt, sed cavere ab his tyrones jubet Piquerius b), quod ea malum ad alias persæpe partes transferant, et convulsionem non raro efficiant, celeriter necantem.

Ceterum ægros, alioquin recte valentes, absente febre, cum dolore ischiadico premerentur, qui diaphoreticis exhibitis, et calidis applicatis pertinaciter resistebat, frigidissimis fomentis levatos sæpius novi.

Si acerbiores inde dolores accessere, relictis frigidis ad fomenta tepida denuo redii.

A cataplasmate ex sapone, arnica et cicuta egregios effectus in arthritide, rheumatismo, imo in pleuritide animadvertimus, quæ tempore humido, frigido occurrebat Nro 32.

Laudatur moxa, qua olim Augustæ Vindelicorum secundo eventu usi sunt. Ea lanugo est artemisiæ, quæ ficta in conos incenditur, ut leniter deflagret; nec magnum dolorem testante

a) Tom. I. pag. 256.
b) Tom. I. pag. 105.

Purmanno et van Swieten affert. Cutis antea mundanda, pilique radendi sunt.

Nocet tamen, ubi pars rubet, et inflammata est; in doloribus vero profundis ad dissipandos humores frigidos, et serosos valere poterit; quamquam cum Olao Borrichio existimem, inustionem artemisia factam haud majore, quam ipsa vesicantia, vi ad medendum malo pollere.

Aqua picis liquidæ apud nos olim in arthritide mane et vesperi ad uncias quatuor propinabatur, sed nunc ejus usus exolevit.

Nuper infusum coffeæ non tostæ plurimum laudabatur, sed brevi encomium immeritum perdidit.

Arthritide fugata, partibus debilioribus, præcipue œdematosis, corroborandis vinacea sub forma balnei sicci vel cataplasmatis commendantur; sed ea ex uvis dulcibus non vero acribus expressa esse oportet.

Nocua est noviter extructa habitatio. Hippocrates refert Heomocratum febre correptum fuisse, quod juxta novum murum decubuisset.

Ut reditus morbi prohibeatur, in iis præcipue, qui aëris vicissitudinibus expositi sunt, diuturnus balnei sulphurei, veluti Baadensis, usus necessarius est.

Balneum, quod Frauenbaad vocant, effica-

cissimum est, et plus sulphuris, quam reliqua testante Braun a), continet.

Juvant quoque balnea hæc sulphurea in paralysi post arthritidem remanente.

Similibus quandoque profuit electrisatio, præcipue ubi sudor validus, calor insolitus, et commotio in parte affecta cum levamine totius corporis brevi subsequebatur.

Qui arthriticis et rheumaticis affectibus obnoxii sunt, ingruente frigidiore atmosphæra corpus densioribus vestibus munire debent; tunc enim animadvertente Celso b) fere meridianis temporibus calor est, nocturnis atque matutinis, simulque vespertinis frigus. Præcipit id jam Hippocrates, licet in calida Græcia degeret.

Plures rarius arthritide vexabantur, ubi subuculam laneam nudo corpori adplicatam gestabant.

Quibusdam balnea frigida morbum prævertendo profuerunt, nonnullos tamen inde pejus adfectos novi, et observatis constat, quod licet incolæ septentrionalis Americæ infantes sæpius frigidæ aquæ immergant, multi tamen adultorum ex morbis inflammatoriis pereunt per vicissitudines aëris contractis c).

a) Transact. philos. 1670.

b) L. II. C. I.

c) Histoire des Decouvertes faites par divers savans Voyageurs etc.

Cl. Marcard notat infantes, qui balneo frigido sæpius utebantur, æque ac alii catarrho et coryza laborasse.

Laudatur usus piscium ad arthritidem dispositis, sed Carthusiani, quibus ex religione nunquam carnibus vesci licebat, sæpius hoc morbo laborabant.

Quidam præcipiunt, ut arthritide laborantes dapibus vix salitis utantur; moderatus tamen usus concedi potest, nautæ salitis cibis fere viventes vix arthritide corripiuntur.

Caput XXXIX.

De Podagra.

Multi, velut Cullen a) podagram a largiore acidorum, et acescentium usu repetunt; cui sententiæ van Swieten non omnino adstipulatur, quamvis det, eam a vinis acidis nonnunquam oriri.

Linneus rusticos in Suecia a podagra immunes vivere existimat, quod vino non utantur, sed cerevisiam bibant. At rustici nostri, et plebeji toties vino acido abutentes podagra vix corripiuntur. Testatur quoque vir supra laudatus, nullas podagricis molestias a frugibus cujuscunque generis creatas fuisse, quamquam eæ in acidum abeant.

Vero similius est, morbum hunc a victu pleniori, neglectis corporis exercitationibus, nimio veneris usu, et immoderata mentis intensione nasci. Certe fatuos rarius podagra vexat.

a) Pag. 211.

Quod tamen ad superiores mali causas attinet, fateor, nosse me fratres duos, podagrico patre genitos, quorum alter, etsi sobrie viveret, pessime hoc morbo cruciabatur: alter omnibus injuriis aëris expositus, veneri et baccho ultra modum indulgens, nunquam podagra laboravit.

Rarior apud nos nunc occurrit, an ex frequentiore theatorum et coffeæ usu, an ex parciori vini potu?

Morbus non caret suspicione contagionis; id quod canes cum podagricis dormientes, vel pedes eorum lambentes confirmant.

Raro feminæ hac ægritudine corripiuntur; rarius e viris macilenti.

Quamquam Hippocrates eunuchos podagra non corripi pronunciet, Galenus recte asserit, podagram nec eunuchis, nec feminis, nec pueris parcere, si otio, luxui et voluptatibus indulgeant.

Juvenes facilius, quam senes curantur, sed vix grandævi fiunt.

Si dolores constantes sint, longiorem id senibus ætatem præsagit.

Qui multum vel sudant, vel mingunt, raro podagra torquentur.

Sudor morbum levat; iis tamen, qui sæviente dolore anxius exprimitur, teste Kleinio non juvat.

Nullam Nieuhoff fidem meretur, qui post-

quam Japoniam aliquoties adiisset, affirmare non dubitat, eam gentem ob frequentiorem Theæ usum nullo arthritico morbo affligi; cum Kæmpferus methodum describat, qua usi Japones, arthriticas et podágricas partes corporis moxa inurant.

Arthritici tandem hydropici, aut apoplectici intereunt.

Temperent sibi a venere senes podagrici, novit enim Cl. Ludwig quosdam, qui post matrimonium initum, immoderato veneris usu graviores morbos, brevique lethales insultus experti sunt.

Cum nulla sit podagræ hucusque reperta medicina, pauca admodum ejus tractandæ præcepta occurrunt.

Sanguis rarissime mittendus est, quamvis inflatæ sint venæ, pulsusque plenior tangatur.

In plethoricis tamen, quibus vires constabant, dolorem hirudinibus loco podagrico admotis, illico profligatum fuisse memini.

Ubi lautior vita præcessit, et lingua sordida majorque calor deprehenditur, mixtura e salibus mediis et roob sambuci aliquoties purgare corpus oportet; quamquam Sydenhamus et leniorum catharcticorum usum rejiciat.

Sudorifera sub initium morbi cumprimis nocent sanguineis, a fortiore sudore arthritici dolores non raro intolerabiles fiunt, et sudoriferis

extra paroxysmum datis quandoque invita natura validissimi paroxysmi excitantur.

Opiata haud conveniunt, nisi tam faciles irritatu sint ægri, ut convulsio metuatur, vel ubi violentia paroxysmorum rémisit, et morbus identidem recrudescens, noctes præ dolore insomnes, præsertim in ægris ætate provectis, et podagra sæpius afflictis.

Opiata largius data monente Nentero Sthaliani systematis ceteroquin assecla facillime periculosa mala excitant, imo contracturas subsecutas fuisse testantur authores.

Podagricis in principio insultus larga vini hispanici dosis porrigebatur, in aliquibus mox paroxysmus disparuit, sed quosdam inopinate apoplexia extinctos fuisse novi. Optime panno laneo pars adfecta tegitur.

A topicis repellentibus et anodynis adplicitis metastases lethales: ab acribus inunctis rigor, immobilitas, aut inflammatio partium: ab emollientibus nimia relaxatio producitur, tumor diutius durat, et morbus eo celerius revertitur.

Immersis in frigidam pedibus primum arthritis teste Heistero a) accessit: dein gravissima mala, morsque ipsa consecuta sunt.

---

a) De aquæ laudibus nimium suspectis Helmstadii 1745.

Finitis paroxysmis, cum tumor articulorum remanet, frictiones aptæ fuerint.

Nodi et tophi nondum inveterati cedunt quandoque lixivio alcalino, ita temperato, ne partem rodat.

Interdum allium profuisse fertur, sed id cum Cl. Spielmann inefficax reperi.

Judæi allio abutentes non raro podagra laborant.

Nec diuturnus decantatæ olim pareiræ pravæ usus podagricis profuit. Immortalis Boërhaavius a) de hoc remedio scribit: Pareira prava parum efficit, multum laudatur a medicis nugacibus, qui arte vacui semper quærunt quid, quo dato ultimum fecisse nihilque omisisse videntur.

Multum quoque celebratus est pulvis ducis Portlandiæ, qui partibus æqualibus radicis aristolochiæ, gentianæ, summitatum chamædryos, et chamæpytios constabat. Dosis erat drachma una, matutino tempore summenda. Aristolochiæ longæ radix podagram quidem lenit, sed vitam plerisque utentium minuit, ut Boërhaavius observat b). Cælius Aurelianus podagricos, amaris abusos, apoplexia extinctos vidit, Cullen e centum, qui pulvere Ducis Portlandiæ usi fuerunt, intra unum

---

a) Epist. ad Bassandum Francisci I. Archiatrum. pag. 166.

b) Epist. ad. Bassandum. pag. 71.

alterumve annum nonaginta ac imprimis apoplecticos obiisse testatur.

Cum multi existiment, eandem podagræ et calculi materiem esse, cum alter alteri morbus sæpius jungatur, aut succedat, aquam calcis commendarunt. Sed facto periculo res præter spem evenit.

Resina guajaci in taffia soluta tanquam specificum quoddam deprædicabatur. Præbetur inde singulis diebus mane cochlear unum jejuno ventriculo, tum bibitur jusculum lactis. Verum præterquam quod junioribus gravissima etiam mala e prædicti pharmaci usu creata sunt, fortassis vita frugalis, ut recte Cl. Grunnerus animadvertit, et corporis motus ab Emerigon, qui prædictum remedium publici juris fecit, commendatus plus profuere, quam laudatum a sæculis jam guajacum.

Taffiæ spiritus vini rectificatus potest substitui.

Guajacum, quando podagrici dolores immanes sunt, obfuit.

Complures tractavi graviori podagra adfectos, qui cum methodo usui essent mox referenda, per plures annos interdum, aut nullo omnino paroxysmo, aut lenibus certe, innoxiisque insultibus corripiebantur.

Calidioris temperiei ægris vernali, et autum-

nali tempore per duas, tres septimanas indies unciam unam aut alteram roob sambuci exhibui, altero tempore, exceptis æstivis mensibus, quotidie gran. xx—xxv florum sulphuris porrexi; podagricis frigidioribus pulveres ex sulphure, et antimonio propinavi; illis vero, qui tumidulo, et pastaceo corporis habitu præditi erant, pilulas ex resina guajaci, floribus sulphuris, et antimonio suasi, præterea strigili instituendas frictiones commendavi.

Damnat quidem Cl. Warner flores sulphuris in arthritide, quod primas vias relaxent, sed nunquam inde malum effectum expertus sum.

Tronchin ab antimonio exhibito colicam pictonum succedere asserit, contrarium cum expertissimo Strack observavi.

Materies podagrica, cum regressa est, periculi plena generat symptomata. Si ventriculum petit, anxietates, cardialgiam, et vomitum: Si pulmonem catarrhum suffocativum, aut asthma: Si caput apoplexiam, aut paralysin progignit.

Extant exempla podagricorum, qui cum acidum liquidum, aquosum, viridescens, atque adeo acre evomuissent, ut fortissimi mineralis acidi acrimoniam æquaret, malo suo liberati fuere. Nihilo secius haud quemquam fore reor, qui, si tuendæ valetudinis artem vel a limite salutavit, emeticum præbeat in podagra retrogressa. Imo etsi

ructus et anxietates circa præcordia observentur, a purgantibus, quibus nil tutius nosse se Lieutaud asserit, hic abstinendum est, nisi forte insignis ingluvies præcessisset. Ceteroquin ad spirituosa, camphoram, moschum, vinum Tokainum, Hispanicum recurrere oportet.

Pedibus antea affectis picem burgundicam, aut vesicantia applicare convenit.

Si repulsa podagra ventriculum petat, vel acerbi dolores vexent eos, qui ultra modum senesiles fuerint, opium, sed caute ac moderate dandum est.

In simili casu sequens remedium sæpius miro levamento fuit.

℞. Rad. gentian. dr. jj.
Menth. piper. unc. j.
Infunde aquæ fervidæ, stet in digestione calida, colat. unc. xiv. add.
Elæosacchar. menth. unc. j.
Sumat sæpius duo cochlearia.

In catarrho suffocativo senum, cum regressa podagra est, vesicantia ad femora, vel inter scapulas apposita, tum gummi ammoniacum, spiritus salis ammoniaci, et camphora interne locum habent.

In cardialgia scutum stomachicum aromaticum epigastrio adplicare decet.

Alvus frequentior sub paroxysmo podagrico

accedens, ægro ceterum recte valente relinquenda est; sin vero vires imminuantur, illico compescenda est, cum brevi perniciosa foret.

Si æger vehementibus antea podagræ accessibus cruciatus, dein solum levioribus et transitoriis insultibus affectus de aliis incommodis notabilioribus conqueratur, cogitandum est de podagra retrogressa.

Merito diæta tenuior in podagra commendatur, cum constet, quosdam, qui amissis opibus, ad summam egestatem adacti tenui victu utebantur, immunes a morbo fuisse: eosdem, cum lautius postea, et mollius corpus curarent, rursus podagræ obnoxios esse factos. Verum tamen consuetudinis universim, ætatis, et virium habenda est ratio.

Podagricis veteranis, paroxysmo aliquantum imminuto, vinum non sine secundis successibus indulsi. Neque in aliis tamen victus tenuior illico in meliorem convertendus est, cum sæpe paroxysmus hac ratione acceleretur.

Diæta lactea vix commendanda videtur, cum lac docente Hallero a) adultos debilitet, iis vero, qui vino largius utuntur, aut debili sunt laxaque fibra, minus opportunum esse constet. Ean-

a) Tom. II. Part. II. pag. 143.

dem Zimmermann a) negat convenire posse ægris, qui aut spasmis obnoxii, aut infirmo sunt ventriculo.

Quandoque dolores diæta lactea ad tempus minuuntur, sed iidem mox vehementiores redeunt, pedumque debilitatem inducunt, toto vitæ tempore duraturam. Quare in junioribus solum, aut iis, qui paucis paroxysmis infestati fuerint, tentari poterit.

Præstanter de podagra scripsit Cullen.

---

a) B II. Von der Erfahrung. S. 264.

Caput XXXX.

De Morbis mulierum.

Viennensibus observante de Haen sanguis menstruus ad dimidiam libram, rarissime ultra libram excernitur.

In puellis quandoque initio catamenia regularia sunt, dein retardant, vel anticipant; si nulla angustia pectoris, molesta tensio in lumbis, epigastrio et ad os sacrum observetur, a medicamentis abstinendum est.

Feminæ quibus copiosus est menstruorum fluxus, aquis mineralibus utentes, primis diebus eorum usum suspendant.

Loca secreta, quæ vento perflantur, aut insessus super pavimenta frigida menstruantibus vitanda sunt.

Si catameniorum loco sanguis per alias vias sine functionum læsione excernatur, naturam remediis haud turbare licet. Parens meus puellam novit, quæ omni mense sine incommodo sanguinem sudabat.

Si ægrotantibus catamenia non fluant, probe inquirendum, an morbus ex retento sanguinis fluxu, an hic per morbum accidat?

Menstruis emanentibus, dum pulsus plenus, major calor, faciei rubor animadvertitur, venæ sectio, emollientia, nitrata remedia, pediluvia, semicupia indicantur. A balneis desistendum, si vires defficiant, somnus arceatur et vires langueant.

Plethoricis emenagoga perniciosa sunt.

Menstruis post acutos et alios graves morbos ex defectu sanguinis non prodeuntibus phlebotomia cachexiam, hydropem generat.

Inter vulgus menstruis suppressis sine discrimine decoctum althææ largiter propinare consuetum est, quo laxa corpora læduntur.

Puella octodecim annorum retentis per integrum annum catameniis omni mense diarrhœa cum valido dolore colico laboravit, rheo, electuario diatesseron Nro. 34, marte a medico nosocomii universalis sanabatur.

Si fœminæ ante menstruorum eruptionem violentis colicis doloribus corripiantur, in iis habitus strictioris semicupia tepida, fomenta abdominis emollientia, clysmata oleosa, decoctum althææ, oleum amygdalarum et alvum solventia indicantur.

In subjectis habitus laxioris frictiones abdo-

minis, pilulæ ex amaricantibus extractis, gummiferulaceis, decoctum millefolii et balnea sulphurea locum habent.

Doloribus admodum vehementibus ad paregorica recurrere necesse est.

Laudatur alvo prius elota, tincturam anodynam ad guttas viginti-quadraginta ano injicere, sed inde mentis obnubilationem, artuum inferiorum stuporem et paralysim subsecutam vidi.

Chirurgus feminæ simili affectione laboranti clysma emolliens cum binis opii granis porrexit, sed inde sopor, ronchus, spasmus maxillæ et gulæ, post duodecim horas mors sequebatur. Cadaver insolitum putridum fœtorem spargebat a).

In subjectis pallidi et tumiduli habitus, dum menstrua cum incommodo emanent, amaricantia, gummi galbanum, extractum arnicæ, hellebori, myrrhæ aquosæ, balnea sulphurea conveniunt.

Si nullus orgasmus, emenagoga tentare licebit, quæ in sanguineis noxia forent. Mirabar quod Cl. Hallerus pulegium infallibile emenagogum esse asserat.

In morbo a menstruis retentis orto validiora emenagoga, ut sabina, pulegium anceps sunt remedium, si enim majus obstaculum in syste-

a) Roux, Tom. XXXIX. pag. 313.

mate uterino hæreat, hæmoptoes succedere observata est.

Electricitatem contra menstrua retenta profuisse refertur, sed quandoque sinistros effectus subsecutos fuisse constat, hinc eam cum Cl. Hamilton a) magna cum cautela adhibendam esse puto.

Nonnullæ sensibiliores menstruis emanentibus per hysterica symptomata torquentur, iis moderatus corporis motus, lenia nervina conducunt.

℞. Rad. valerian. sylvest.
Gummi galban. aa. drachm. jj.
Extract. amaricant. drachm. j.
Castorei drachm. semis.
F. l. a. pilulæ gran. jjj.
Consperge pulv. liquiritiæ.
Sumat bis ter de die quinque

Prosunt similibus emplastra leniter stimulantia abdomini imposita.

Urgentiore malo, si nullus viscerum abdominalium infarctus, alvus libera, quidquam extracti martis cum successu additur.

Dum ob ætatem menstrua cessant, bonum si successive minuantur, magnum sanguinis profluvium vasa varicosa notat.

---

a) Unterricht in der Behandlung der Frauenzimmer und neugebornen Kinderkrankheiten. pag. 41.

Si catamenia ex ætate cum incommodo emaneant, venæ sectionibus, leniter evacuantibus sæpe morbi præveriuntur, præcipue in plethoricis, vel quæ in juventute copiosum sanguinis fluxum patiebantur.

Catameniorum fluxus vetularum insanabilis, non raro scirrhi, aut cancri occulti prodromus est; hic quoque metuendus in mediæ ætatis mulieribus, si hæmorrhagiæ cum dolore circa regionem uteri et femorum recurrant.

In menstruis nimium fluentibus, si subjecta læti sint habitus, diæta tenuis, quies corporis, medicamenta refrigerantia, fomenta frigida ex aceto et aqua uteri regioni adplicanda sunt.

Spirituosa aromatibus condita evitanda sunt ab initio; in feminis laxioris habitus, præcipue si cruor minus coloratus fluat, cortex peruvianus, vitriolum martis, refractæ doses ipecacuanhæ, fungus melitensis, balnea ferruginea indicantur.

Tinctura cinnamomi in subjectis habitus laxioris prodest, in sanguineis minus tuta videtur.

Quidam arnicam in hæmorrhagia laudant, sed merito de hac ejus virtute Clar. Murray dubitat.

Alumen egregium in hisce hæmorrhagiis est remedium.

Fluoris albi causa nonnunquam a prolapsu uteri, nonnunquam a vitio viarum urinariarum,

viscerum abdominalium, vel systematis uterini hæret.

Nimis protractus maciem et œdema generat.

Loturæ carnium similis, fœtens ulcus saniosum, cancrosum, vel syphiliticum notat.

Mitis, diutius durans, præcipue in fœminis puritati non studentibus malignioris quandoque sit indolis.

In cachecticis colorem viridem persæpe induit, acris evadit, vicinia rodit et ischuriam causat.

Celticus potissimum humorem tenuem, serosum, rodentem, non venereus viscidum exhibet.

Fluor albus gravidarum, vel qui ad finem menstruorum prodit, si recte valeant, nec exorbitet absque medicamentis relinqui potest.

A benigno intempestive suppresso cardialgiam et varios morbos chronicos subsecutos viderunt practici.

Non indiscriminatim ad roborantia et adstringentia confugiendum, nonnunquam, quod Cl. Hamilton confirmat, in feminis lautius pastis, vitam sedentariam agentibus, si pulsus plenus et fortis observetur, de dolore capitis et lumborum conquerantur, tonica lædere, sed venæ sectionem, victum tenuem et lenia evacuantia prodesse.

Debilioribus purgantia nocent.

Uva ursi in fluore albo sine levamine propinatur, herba millefolii et urticæ valent.

In subjectis habitus laxioris cortex peruvianus, mars, rheum, tormentilla, balnea ferruginea in usum vocanda sunt.

Lazar Riverius longiori usu rhei cum terebinthina fluorem album sustulit.

Millefolium, præcipue si causa mali in viis urinariis hæreat, egregium est remedium.

In fluore albo ab onania sequentes pilulæ profuerunt:

℞. Cort. peruv. drachm. jjj.
Extract. millefol.
— martis pomat. aa. drachm. j.
F. l. a. pilulæ granorum jjj.
Consperge pulv. liquiritiæ.
Sumat bis ter de die sex.

Injectiones ex decocto millefolii et urticæ sæpe profuerunt.

Ab aluminosis pruritum genitalium internorum, ab adstringentibus scirrhum subsecutum fuisse observata docent.

Urgente malo ad injectiones aquæ chalybeatæ, decocti tormentillæ recurrere oportet; ubi autem tensio vel molestus sensus circa regionem uteri animadvertitur, desistendum et lenia eccoprotica propinanda sunt.

Injectiones frigidiores sæpe lædunt.

A largiori lacticinii, aut alimentorum pinguium usu abstinendum, moderatus vini usus præcipue subadstringentis proficuus est.

Chlorosis non semper a menstruorum defectu vel eorum non debito fluxu oritur, cum multæ puellæ hoc morbo afficiantur, antequam menstruationis tempus ingruat.

Quandoque sed rarius in plethoricis, opipare viventibus a sanguinis abundantia oritur, iis roborantia nocent, sed victus tenuior, diluentia, imo in principio venæ sectiones juvant, in progressu morbi jam adulto obsunt.

Rowlay corporis motum, saltum, ascensum scalarum suadet, quæ quidem proficua forent; majorem corporis motum ob spiritus angustiam non ferunt.

Ad curandam chlorosim ea sufficiunt, quæ de fluore albo sanando notavi.

Nonnullæ chloroticæ febricitant, cavendum a refrigerantibus, cavendum et antiphlogisticis, sed lenibus roborantibus febrilis motus minuitur.

In multis nec sola amaricantia, nec martialia juvant, sed combinata sanitatem restituunt.

In nosocomio Sanctæ Trinitatis olim scientia medica et humanitate insigni Doctore Holzbauer electuarium diatesseron Nro. 34 cum marte optimo cum successu adhibebatur.

Sequentes pilulas sæpius cum successu in usum vocabam,

℞. Extract. amaricant. drachm. jj.
Gummi sagapen. drachm. j.
Extract. mart.
Myrrh. aquosæ aa. drachm. ß.
F. pil. gran. jjj. consperge pulv. liquirit.
Sumat bis ter de die quinque.

Si sub martialium usu alvus constipetur, urina parcius fluat, spiritus angustior animadvertatur, ab iis desistendum et solis amaricantibus, gummiferulaceis continuandum est.

Ab intempestivo martis usu feminas febre lenta periisse vidit Zimmermann.

Præjudicata est opinio fœminas, quæ nunquam fluxum menstruum passæ sunt, non imprægnari, contrarium Stalpart van der Wiel, Senertus observarunt.

Si gravidæ recte valeant, a medicamentis abstinendum, in lautius viventibus alvus mollior servanda est.

Si vero pulsus fortior, major calor, respiratio laboriosior phlebotomia instituenda, præcipue in iis, quæ largiorem menstruorum fluxum patiebantur, secus a sanguinis detractione cavendum; multa enim gravidarum incommoda plethoræ adscribi non possunt, cum primo imprægnationis tempore sanguis non abundet, et symptomata serius aut sponte minuantur, aut eva-

nescant, et pallidiores mulieres pejus valeant, læto colore præditæ minus lædantur.

Novi tamen nonnullas mulieres, quarum nec pulsus nec habitus externus sanguinem abundare indicabat; cum tamen aliquoties abortum passæ fuerint, et tensionem in lumbis, molem in regione uteri insigniter auctam observaverim, topicam systematis uterini plethoram suspicans parvis venæ sectionibus aliquoties institutis abortum præcavebam, et fœtum sanum absque subsequenti molestia ennixæ sunt.

In gravidis attendendum, ut alvus libera sit, præsertim ultimo mense, cum per uteri incrementum totum digestionis systema perturbetur.

Balnea gravidis præcipue laxioribus ab initio ob metum abortus non facile concessi, annosioribus et stricto habitu præditis, præcipue primiparis ad genitalia emollienda permisi.

Si gravidæ pica aut malacia laborent, stomachica, et acrimoniæ contraria tentari possunt; aliquando autem præcipiente Ill. van Swieten satius est appetitui subscribere, quam eidem pertinaciter resistere ob animi motus inde metuendos, cum post tertium, aut quartum mensem hæ appetentiæ evanescant. Attendendum ne nimia ingestorum copia noceat.

Vomitus gravidarum sæpe circa medium ge-

stationis tempus absque medicamine cessat, sæpe ad finem graviditatis perdurat.

Ab eo intempestive suppresso multæ læduntur, in initio nihil moliendum, si vero lingua impura sit, diæta lautior, eccoprotica prosunt.

Paregorica nisi in mobilioribus raro voto respondent, imo cum alvum tardiorem reddant, incommodum augent.

Ab opiatis regioni epigastricæ adpositis quandoque anxietates oriebantur.

Binas feminas tractandas habui, quibus vomitus nullis remediis sistebatur, aqua Selterana cum et sine vino pota multum levaminis tulit.

In morbo spasmodico gravidarum non mox ad calida nervina et paregorica remedia confugiendum; in his propinandis circumspectum esse oportet, cum nonnunquam morbi causa in abdomine hæreat, tum gravidæ lautius nutritæ sedentariam vitam agunt, frequentius divites, rarius pauperes hac affectione laborant.

Nonnullæ gravidæ menstruum fluxum absque læsione patiuntur, in iis nihil moliendum, sed omnia, quæ sanguinem exæstuant, vitanda, aër frigidiusculus, diæta tenuior, cremor tartari, aqua frigida cum pauco succo citri, aut spiritu vitrioli prosunt.

Quies animi et corporis imperanda est.

Novi fœminam, quæ toto graviditatis tem-

pore largiore sanguinis fluxu laboravit, quiete, diæta tenui, leniter refrigerantibus debito tempore fœtum sanum ennixa est.

Abortus communiter circa tertium mensem contingit, quia tunc debilior est fœtus cum utero nexus. Si post sextum vel septimum mensem contingat, plerumque omnis medela incassum adhibetur.

Ad abortum præcavendum diversa indicantur auxilia, in sanguineis, edacibus, largiorem antea menstruorum fluxum expertis venæ sectio, refrigerantia prosunt evitatis omnibus, quæ circulationem et animi motum exagitant.

Pallidioribus, quarum pulsus debilis, vita sedentaria præcessit, roborantia, cortex peruvianus, lenia martialia, moderatus vini usus convenit.

In mobilioribus, si validum animi affectum patiantur, paregorica, levia nervina, ut valeriana, castoreum utilia sunt.

In nonnullis abortus septimo mense accidit adhibitis omnibus cautelis, tum uterus animadvertente Mauriceau majorem extensionem non patitur.

In notabiliore sanguinis profluvio vestes solvendæ, situs corporis horizontalis, decubitus supra culcitram pilis equinis sarcitam imperandus, corpus non multum tegendum, consuetudini tu-

men quidquam tribuendum est, cum per leviorem refrigerationem in non asuetis spasmi oriantur.

In plethoricis levem exploratoriam phlebotomiam tentare licet, alumen, acida mineralia conveniunt, opiata magis noxia, quam proficua sunt.

In sensibilioribus, dum hæmorrhagia uteri, si non a placenta prævia originem habeat, circa finem graviditatis occurrit, suadet Cl. Gartschore, qui mihi Londini plurima gratissima præstitit officia, ut opium exhibeatur ad dolores, spasmos, et irritationem inde natam minuendam, qua sanguis ad inferiora determinatur.

In hæmorrhagia uterina sequentes pulveres profuerunt:

℞. Alumin. gran. jjj.
Vitriol. mart. artefact. gran. j.
Sacchar. scrupul. semis.
F. pulv. dentur plures tales doses, sæpius pro urgentiore casu sumendæ.

Præstantissimum est remedium pulvis ex grano uno ipecacuanhæ et scrupulo semis sacchari omni octava aut quarta horæ parte propinandus, vomitus quandoque subsequebatur, sed sanguinis fluxus subsistebat.

Tinctura cinnamomi indiscriminatim laudatur, sed in sanguineis de calore, siti conque-

rentibus non convenit, ex largiori hujus usu febrem inflammatoriam natam fuisse, compertum habeo.

Similibus alumen, acida mineralia diluta, fomenta frigida ex aqua et aceto parata pubis regioni admovere oportet; quandoque glacies externe adplicata profuit, sed ubi feminæ fere exanimes, pulsus vix sensibilis, corpus frigescens locum non habent.

Pulveres ex scrupulo uno fungi melitensis, et grano uno aluminis præstantissimos ediderunt effectus.

Ubi soluto placentæ nexu undatim ex utero sanguis fluit, convulsionem et mortem neglecta uteri evacuatione succedere viderunt practici.

De placentæ extractione legi meretur opus Cl. de Zeller.

Gravidæ hydropem patiuntur, dum aqua intra ipsum uteri cavum vel inter laminas membranarum, vel inter membranas et uterum colligitur; lenia diuretica successive dosin augendo, amaricantia, dein roborantia indicantur.

Victus eupeptus aromatibus conditus, vini generosioris usus, frictiones pannis laneis fumo aromatico imbutis indicantur.

Egregii comici Stephani uxor faciem pallidam, abdomen insigniter auctum exhibuit, catamenia per plures menses retinebantur, suspica-

bar graviditatem cum aquoso latice subesse, obstetrices eam non esse gravidam declarabant; præscripsi pilulas ex amaricantibus, gummiferulaceis, infuso decoctum ex trifolio fibrino, calamo aromatico addito oxymelle squillitico, et ad thermas badenses mandavi, sub usu harum magna copia aquarum per genitalia, imminuta abdominis mole fluxit, redeuns denuo explorata, obstetricantes eam in octavum circiter mensem gravidam esse pronuntiarunt. Continuatis per tempus supra dictis auxiliis puellam hodiedum sanam parturiit.

Post partum abdomen linteo lato fulciri potest, sed evitanda sunt arctiora, quibus lochia supprimi possunt.

Si puerperæ de nullo alio incommodo conquerantur, remediis non egent; centenas tractavi, quæ absque ullo medicamento felicissime puerperium absolverunt.

Diæta accommodata, temperies atmosphæræ, puritas lecti et linteorum, potus emollientes sufficiebant.

Doloribus post partum levioribus grumi sanguinis ex utero ducuntur; si vero exorbitent, præter diluentia et decocta tepida, clysmata emollientia, ad opium cauta manu porrigendum confugiendum est, mixturam oleosam cum tinctura anodyna per vices cum successu exhibui, ubi vero puerperæ a mediocri paregoricorum dosi alto som-

no merguntur, de torpore, insolita capitis gravitate conqueruntur, vel paululum delirant, ab opiatis desistendum est.

De hæmorrhagia post partum ea, quæ superius notavi, huc spectant, vitanda est tinctura cinnamomi, quamdiu quidquam peregrini in utero latet.

Injectiones frigidæ inflammationes lentas uteri causarunt.

In debilitate magnam hæmorrhagiam sequente cum Cl. Hamilton vinum et spirituosa vitanda esse, sed decoctum corticis peruviani, martialia et nutrientia convenire puto.

Pessaria ab Hippocrate commendata periculosa sunt, iis vagina obturatur, sanguis grumescit, hæmorrhagia ad speciem sistitur, sed cruor interne accumulatur et ægræ inopinate pereunt.

Nimis tempestiva surrectio ex lecto ad prolapsum uteri disponit.

Lochiis absque incommodis cessantibus nihil moliendum est.

Si in hystericis a pathemate animi supprimantur absente orgasmo, opiatis locus est, sed post hæc exhibita sanguinis fluxu non brevi redeunte ab iis abstinendum esse, præcipit Ill. van Swieten.

Diarrhœa lochiis cessantibus non exorbitans potissimum salutaris.

Puerperæ non diu urinam retineant, ne vesica nimium dilatetur, quandoque lotium supprimitur, ut cathetere opus sit, in similibus mixturam Hoffmannianam et lenia eccoprotica cum successu propinavi.

Puerperæ stragulis quidem non sunt onerandæ, sed aër frigidiusculus, præcipue per portas oppositas, aut rimas intrans perniciem causat.

In nosocomio universali aliquæ, sub quarum lectis clausa quidem, et per lanam obturata ventilatoria erant, morbo inflammatorio peribant. Ventilatoriis dein mutatis nulla gravibus symptomatibus corripiebatur.

Cavendum quoque, ne puerperæ in cubiculis noviter calce obductis decumbant; per sæpius laudatum de Zeller certus factus sum, in nosocomio Sancti Marci omni anno cubicula expurgata et calce illinita fuisse, cum loci mutatio ob cubiculorum defectum occasio non esset, semper aliquæ illuc collocatæ moriebantur.

Alvum apertam in puerperis servare studui.

In febre lactea, si lingua impura, sitis major, alvus tarda, decoctum althææ cum sale medio, habita virium ratione imperavi.

Vanus est metus salium, nisi peculiaris idiosyncrasia obstet, Lewret et Burserius cum emolumento arcanum duplicatum propinarunt.

Absentibus saburræ signis spiritus Minde-reri cum roob sambuci addendus est.

Febres puerperarum præcaventur, diæta tenui, potibus diluentibus, leniter emollientibus, alvo libera servata, aëre cum cautela renovato, evitatis animi pathematibus, nimia loquacitate, et turba invisentium. Diversi genii sunt febres puerperarum, Stoll eas potissimum gastricas, raro inflammatorias esse asserit; occurrunt tamen non infrequenter inflammatoriæ a rudi obstetricantis manu, frigidiore admisso aëre, spirituoso potu, quod quandoque accidebat, dum parturientibus etiam sanguineis ad sustentandas vires præmature vinum propinabatur.

Frequentius omentum, peritonæum, rarius uterus inflammatur; in vere inflammatoria venæ sectionis summa necessitas est et mox instituenda, dum abdomen tactu valde dolet, secus sanguinis detractio nocua imo lethalis fieri potest.

Ex diætæ errore febres gastricæ nascuntur.

Quandoque a neglecta linteorum mutatione, vel a grumis sanguinis uteri in tabum putridum deliquiscentibus febres putrido nervosæ cum ingente virium prostratione nascuntur.

Ex terrore, animi commotione febres vere nervosæ existunt.

Denique quibus in graviditate absque necessitate, aut post partum sanguis mittebatur,

quæ calido regimine vexabantur, aut quibus ob levem febrilem motum camphora, excitantia et ad somnum conciliandum paregorica propinabantur, crebrius exanthematibus laborabant.

Febres puerperarum ut aliæ gastricæ, inflammatoriæ, putridæ, et nervosæ pro diversitate genii. et symptomatum tractandæ sunt. Vesicantia cautius ob vim irritantem et vias urinarias afficientem adhibere oportet.

Gastrica symptomata lenia alvum moventia petunt, nec nimis meticulosum in his exhibendis esse oportet. Felix Platerus in gravi febre puerperarum convulsionibus stipata lenia evacuantia cum levamine propinavit, sed si sub alvi fluxu venter intumescat, maximum periculum notat et ad fomenta aromatica transeundum est.

Validiora catharctica noxam inferunt.

Hac methodo ex numerosis puerperis quarum curam per quinquaginta annos habui paucæ febre graviore corripiebantur et in his tractandis fidem fere superante felicitate gaudeo.

In domo quoque regia obstetricia Havniensi inter tercentas, et triginta septem puerperas, paucæ febre puerperali laborabant, quarum una succubuit, altera evasit, quod regimini frigidori, debitæ munditiei ac rectæ medendi methodo adscribunt.

In nosocomio universali magna cum felici-

tate puerperæ tractabantur, et inter centenas nec unica mortua est, tribuendum id fuit maxime Cl. de Zeller, qui peritissima manu firmis artis principiis imbutus omnes dexterrimi obstetricantis vices implevit.

Sæpe post puerperium mole auctum remanet abdomen utplurimum a tumidis ovariis, præcipue sinistri, quod crebrius hydropicum fit.

Si habitus sit luteolus, nulla febris extracta amaricantia cum gummi ferulaceis adjecta aloë, dum alvus languet; primo vere præter has pilulas succus ex taraxaco recenter expressus convenit, atrabiliarius enim humor notante Hippocrate quandoque ad uterum fertur et scirrhosam dispositionem creat.

Delirium post puerperium Bergius setaceo nuchæ apposito curavit; ante paucos menses puerperam marvelously ferociter delirantem, cum convulsione unius lateris, quæ a nervinis lædebatur, hirudinum retro aures applicatione, solventibus clysmatibus et lenibus alvum ducentibus curavi.

Caput XXXXI.

De Morbis venereis.

Vix quidem sine coitu malum syphiliticum contrahitur, obstetricantes tamen nonnunquam pertinacibus dolentibus tumoribus afficiebantur, dum venereis parturientibus assistebant.

Quæ sæpius redit gonorrhœa, plerumque doloris minus, at plus in curando difficultatis habet.

Quo propius malum vesicæ collo residet, eo pejus habendum est; cum vero in prostata, ac cumprimis in vesiculis seminalibus hæret, frequenter omnem curationem respuit.

Cum gravior dolor, aut febris urget, venæ sectio, cataplasmata, fotus emollientes, remedia demulcentia, ut decoctum althææ cum pauco nitro, et emulsa conveniunt.

Anno 1753, quo tempore nondum antiphlogistica methodo nostri utebantur, gonorrhœam admodum dolentem sanavi decocto althææ cum nitro, tanta copia exhibito, ut intra 24 horas decocti libras octo cum nitri semuncia hauriret æger, brevique convalesceret.

Caute tamen nitrum præbere decet; si enim majore, ut a me factum erat, copia propinetur, aut demulcentibus non satis temperetur, irritare, mictumque cruentum ciere valet. Quare si magna stranguriæ vis, vel ingens inter mingendum dolor animadvertitur, nitro prorsus abstinendum, et solis demulcentibus, ut radice salep et althææ, gummi arabico, utendum est.

Possunt lenia evacuantia, velut aqua laxativa interponi, non ut multum purgetur corpus, sed ut laxior alvus perstet. Mercurialia tamen, aut fortiora, ut scammonium, non expediunt; vitanda item spirituosa, et stimulantia, quin etiam major corporis motus.

Quamdiu status inflammatorius existit, tonica et balsamica plurimum nocent.

Ubi vero gonorrhϾ magis inveteratæ juncta est urethræ exulceratio, interdum mercurialia requiruntur; imo cum internis remediis morbus resistit, injectiones mucilaginosæ cum lenioribus mercurialibus locum habent.

Cum ægris debilibus, aut valde irritabilibus copiosa materia limpida non sine acuto dolore, pulsuque frequenti effluit, corticem cum aut sine opio pro symptomatum diversitate Cl. Schwediaur commendat; quin et nonnunquam opium, cum clysmatibus emollientibus præcipit, ut frequentes, et cum dolore conjunctæ erectiones impediantur.

Sollicite indagandum, an nihil omnino inflammationis subsit, quæ si adesset, cortex haud omni periculo vacaret.

Fortasse ægris adeo irritabilibus tutius foret decoctum salep, aut emulsio cum laudano interne data, quam clysmata cum opio injecta.

Ad frequentiores erectiones mitigandas emulsio camphorata laudatur, sed emulsiones absque camphora et largiorem emollientium potum præponendum esse puto.

Multis ad perfectam curationem necessum esse videtur, ut in albam mutetur materia ex urethra effluens, quæ tamen interdum ad finem curæ usque flavescens perseverat.

Gonorrhœa laborantibus, si nullus urinæ ardor, nullus in urethra calor, vel in erigendo dolor sentiatur, si fluxus materiæ minuatur, eaque crassior evadat, pilulæ ex gummi arabico, mastiche cum modica terebinthina cocta aut balsamo copaivæ opportunæ erunt.

Contra gonorrhœam ex relaxatione durantem, cujus rei indicium id præbet, si, cum vel urethra premitur, vel stylus introducitur, aut ultimæ post mictum lotii guttæ exprimuntur, omnis dolor absit, pilulæ superiores addito extracto martis et tormentillæ parati prosunt.

His nihil proficientibus ad injectiones adstringentes, ut ad decoctum corticis vel tormen-

tilliæ, vel aquam calcis cum mercurio dulci v. g. drachmam unam mercurii dulcis solve in aquæ calcis vivæ unciis quatuor detur pro injectione, transire licet.

Ex injectione solutionis lapidis caustici chirurgorum gangrænam Clar. de Zeller observavit a).

Si candelæ adplicentur, in principio nec mole crassiores sint, nec longo tempore relinquantur.

Damnandæ sunt injectiones saturninæ. Novi complures, quibus eæ atrocissimos abdominis, artuumque cruciatus excitarunt. Atque cum hos medici pro doloribus e lue venerea ortis haberent, infausto consilio mercurialia maxima dosi porrigebant; unde factum, ut ægri demum insanabilibus nervorum morbis implicarentur, aut phthisi consumti interirent.

Est quoque gonorrhœa sicca, ubi parietes urethræ velut concrescere incipiunt et dolor inter mingendum intolerabilis percipitur, hic constricta urethra ejusque muco expresso mitigatur, et injectionibus emollientibus ac mucilaginosis utendum est.

Grave malum urina penitus subpressa, quod

---

a) Ueber die ersten Erscheinungen venerischer Local-Krankheitsform. pag. 30.

si a residuo tumore glandularum urethræ antea inflammatarum et postea discussarum sit ortum; candela aut chorda immissa, mechanica quadam ratione juvatur. Eodem modo adplicitæ tum quoque conveniunt, cum canalis a plicis, vel crassitie membranarum urethræ coangustatur; non raro tamen litus mercuriales loco ægro externe adhibiti curationem accelerant.

Quidam in gonorrhœa inveterata laudant interne tincturam cantharidum aut injectiones ex oleo terebinthinæ. Hi novam inflammationem excitare velle videntur, ut malum radicitus evellant; verum ejusmodi stimulantia, ac præcipue tinctura cantharidum, quamvis cauta manu exhibita, nonnunquam stranguriam; dolores pergrandes, atque gravissima mala pepererunt.

In phimosi, quæ balneis, fomentis emollientibus, aut discutientibus, item præputio, carptis linteis, aut spongia impleto, sanatur; rarissime incisio lateris necessaria est, neque, dum fit, malum sæpe aufert. Itaque graviore in casu, vel in phimosi scirrhosa circumcisionem potius instituere oportet.

Condylomata potissimum in immundioribus spectantur. Minora, vel fungosa aquæ calcis, aut alumini cedunt.

Si verrucosæ sint naturæ plus aluminis, vel solutionem hydrargyri in acido nitri, aut mercu-

vii sublimati adplicationem poscunt: majora sæpe cultro auferre oportet.

In ablatis, quæ crebrius recrescunt, decoctum radicis tormentillæ vel bistortæ adplicare convenit.

Pulvis sabinæ condylomatibus inspersus vix memorabilis est efficaciæ.

In bubonibus cum vires exorbitant, minuendæ eæ sunt, locumque habet curatio antiphlogistica: bono effectu mixtura ex salibus mediis, et roob sambuci corpus leniter purgatur; cum vero pulsus est debilis, cum vix febris percipitur, neque æger quosdam fere dolores sentit, alimenta majore copia concedenda sunt; quin et cortex et vinum rubrum erigendis conveniunt.

Si circumferentiæ bubonis non inflammati induratæ et quasi callosæ sint, optimo successu bis de die 4 aut 5 grana calomelis cum saliva subacti iisdem infricantur, et emplastrum ex cicuta cum gummi ammoniaco imponitur. Idem locum habet, dum bubone, post suppurationem factam, aperto, durities in circumferentia major perstat.

Scirrhosus bubo sibi relinquendus, cum resolutionem vix sperare liceat, et per validiora tractatus in cancrum mutari possit.

Quantum fieri potest, cavendum ne bubones incidantur, sponte enim si aperiuntur, ci-

tius multo ac facilius coalescunt. Si autem illa spontanea apertura nimis protraheretur, lapide caustico aperiendus est.

Videndum quoque, ne aperti bubones filis carptis, aut turundis obturentur; hac enim compressione et margines callosi efficiuntur, et ulcera malignæ speciei generantur.

Cum e bubone ulceroso materies effluit ichorosa, simulque vires dejiciuntur, nocent mercurialia; at nutrientia, ut decoctum corticis cum lacte, vel decoctum ex antimonio, et sarsaparilla prosunt.

Ex numerosissimis venereis, qui per annum et dimidium in nosocomio generali degebant, duo solummodo bubone gangrænoso laborabant.

In hoc statu cortex peruvianus et camphora aceto antiseptico soluta, tum interne, tum externe, tempestive adhibenda sunt Nro. 36.

In testiculis venereis præter balnea emollientia, vapores, et repetita clysmata, etiam cataplasmata emollientia genitalibus cum fructu adplicantur; ubi tamen suspensorio utendum est. Raro inunctiones locales conveniunt, nisi chorda spermatica admodum intumeat.

Cum testiculi induruere, neque remediis ullis cedunt, quidam gonorrhœæ inoculationem commendant. Verum hæc in statu inflammationis, et teste adhuc dolente noceret.

Novi duos, qui durissimis testiculis præditi erant. Ili antea gonorrhœa laborarunt, quæ balsamicis remediis, et adstringentibus subpressa fuit. Cum eam denuo contraxissent, emollientibus et debita gonorrhϾ curatione, tum mercurialibus, non ore solum sumtis, sed externe etiam adplicitis, penitus convaluere.

Contra indurationem epididymidis mercurialia incassum adhibentur.

Adversus ulcera venerea, præcipue faucium, in cachecticis corporibus, cum tenuem atque acrem ichorem continebant, sequens pulvis bis, ter, quaterve per diem sumtus profuit.

℞. Extract. gratiol.

Pulv. fœnicul.

Lapid. cancror. aa gr. jv—vj.

Hoc remedium plerumque per salivæ et urinæ vias agit, rarius purgat, rarissime sudorem pellit; quod si fiet, de cephalalgia potissimum conqueruntur ægri.

In quibusdam ulceribus venereis unguento neapolitano quidquam nutriti addere convenit.

In venereis faucium ulceribus lapidem infernalem cum successu adhibitum fuisse intellexit Cl. de Vering, sed acidum salis dilutum meliorem effectum præstat.

In morbis venereis cutaneis, in scabie, quin et herpete pertinacissimo infusum scordii satu-

ratum ad libram unam ter, quater, imo sæpius de die sumtum cum balneis mire juvat; quandoque in scabie venerea pulvis scordii adjumento est, sed tardius infuso agit.

In cancris venereis lardaceis et non lardaceis efficacissimum erat sequens remedium

℞. Succ. cicut. unc. jj.
Calomel drachm jβ.

Sæpius de die, cum siccatum fuerit, linteis carptis adplicetur; hyemis tempore extractum cicutæ subrogari in succi locum potest, sed tardior tum curatio erit.

Cavendum quoque in cancris venereis, ne intempestive saturnina adhibeantur. Vidi ipsemet a balneis penis in gonorrhœa, ubi saturnina magna copia admiscebantur, membrum sensu omni, atque erigendi potentia privatum fuisse, quin dolores etiam inguinum, perinæi, et artuum accessisse, qui ægrum sæve admodum et complures annos torquerent.

Præter decocta, cataplasmata, et balnea emollientia flores sulphuris interne adhibiti levamine fuere.

Neque tamen hinc arguere licet, saturnina omnia, externe adplicita, obesse; imo ea in malis quibusdam cutaneis præsertim inflammatione absente præclaram opem præstant, sed circumspectione opus est.

In bubonibus corticem cum cicuta et externe applicitam cicutam fuisse testatur Cel. Hunter, sed id sæpius absque effectu tentatum fuisse certior factus sum.

In cancris suppurantibus a mercurialibus abstinere oportet.

Ad luem ipsam sanandam, imo etiam ad alia symptomata tollenda frictio mercurialis sæpe requiritur, quam balnea præcedere debent, nisi nimium viribus deficiantur ægri.

Videndum an sebum recens sit; tum in frigidiore loco unguentum servandum, et absque terebinthina parandum est, ut cutis pustulæ præcaveantur, id quod facilius obtinetur, cum e butyro cacao conficitur unguentum. Optimum unguentum est, si loco sebi aut axungiæ, unguentum juniperi adhibetur, quia hoc vix rancidum fit.

Vitanda est salivatio.

Eam camphora, unguento neapolitano addita, non impedit.

Inunctio plantæ pedis cum sublimato non respondit voto, potest usurpari in ægris, quorum ventriculus sublimatum ferre non valet.

Scorbuticis non sine maxima circumspectione mercurialia conveniunt, acidum salis cum decocto malti optimum effectum præstat v. g.

℞. Decocti malti libr. j.

Spirit. sal. acid. dr. j.

M. sumat per diem.

Lactantibus non sine discrimine mercurialia propinantur; cum a copiosiore saliva suffocationis periculum nascatur, vix lac sugere valeant.

Salivatione incipiente, quoniam in ore ulcuscula nasci solent, cavendum, ne ea pro syphiliticis habeantur, ususque mercurii continuetur.

Salivationem exorientem supprimunt balnea tepida, diæta tenuis, potus mucilaginosus, clysmata et lenia evacuantia; sed caute ultimis utendum, ne vis mercurii omnis in intestina irruat, et diarrhœam colliquativam suscitet, qua juvenem, nobili ortum prosapia, brevi e medio sublatum vidit Boërhaavius.

Aegri non nimis frigide tractandi sunt, nam sæpe hac de causa, vel ex aëre nocturno incautius admisso humores nimia vi in intestina feruntur.

Quod cum fit, clysmata emollientia, decocta demulcentia, ut salep, vel mixtura cum gummi arabico et opiata præbenda sunt.

In nimia salivatione sulphur interne adhibitum et camphora prosunt; et si ductus salivæ nimium relaxati sint, neque os nimiopere doleat, gargarisma ex decocto tormentillæ vel salviæ peropportunum fuerit; si vero corpus ex

salivatione nimium fractum, debilitatumque sit, lenia martialia congruunt.

Videndum, ne debilioribus diæta nimium tenuis administretur.

Cum ægri inter frictiones valde debilitantur, aut multum sudant, cortice peruviano egent.

Qui vero, vel negotiis, vel aliis causis impediti, frictionibus uti nequeunt, iis mercurius gummosus Plenkii commendandus est. Quandoque gummi arabici plus, quam Cl. Auctor præcipit, addendum erit.

Habet id commodi hoc remedium, ut a ventriculo plerumque facilius feratur. Quodsi salivationem cieat, eadem observare oportebit, quæ paullo ante diximus.

Sæpe frictiones non prosunt: alii eas ferre nequeunt, sed mercurio interne cum levamine utuntur: nonnullos contra mercurius interne sumtus lædit, sed iis frictiones opportunæ sunt.

Mercurius dulcis apprime convenit. A mercurio nigro non meliores effectus secutos fuisse mihi constat.

Nunc in novum Dispensatorium receptus est mercurius niger Moscati Nro. 37 quod eum minus in intestina agere putent.

In ægris, qui nervos admodum irritabiles habent, vel hæmoptoe laborarunt, cautissima

manu mercurialia danda sunt, in venereis aneurismate simul adfectis ea plane interdicit Oesterdykschacht, cum mercurii abusus quandoque aneurismata efficiat.

Plures lue venerea gravissime adfecti, cum aliquoties frictionibus mercurialibus debite institutis, extra nosocomium absque fructu usi essent, apud nos adhibitis aliis auxiliis sanabantur.

In tophis, et carie præter inunctiones mercuriales, si iisdem ægri non antea usi fuerunt, æthiops antimonialis, interpositis purgantibus, et largo potu sarsaparillæ secundæ decoctionis insignem opem adtulit.

Aethiops antimonialis, cujus efficaciam in tinea capitis, scrophulis, strumis et scabie expertus est Cl. Baldinger a), etiam in doloribus artuum vehementibus, et fluore albo malæ notæ, ter, quaterve die sumtus juvit. Addi tamen plus sulphuris debet, quam Huxhamus præcipit.

℞. Flor. sulphur. partes jj.
Antimon. crudi in tenerrimum pulverem contusi partes jjj.
Mercur. vivi partes jv.
Misceantur exactissime longo et assiduo tritu.

In arthritide venerea pulvis alterans Plumeri

a) Hist. med. mercur. et mercurialium P. I. pag. 47.

ex anatica parte mercurii dulcis et sulphuris aurati antimonii constans persæpe juvat, præcipue si larga decocti radicis bardanæ, aut saponariæ dosis suprapotetur.

Contra dolores artuum adhibitis antea mercurialibus sequens decoctum profuit.

℞. Rad. bardan. unc. jjj.

Cort. mezerei drachm. j.

Coque in libris jjj. aquæ ad remanentiam librarum jjβ.

Addendo ad finem

Radic. liquirit. dr. jβ.

Tentatæ etiam fuere pilulæ e mercurio vivo et resina guajaci confectæ, sed non eadem, qua æthiops virtute pollent.

Decoctum ligni juniperi cum antimonio paratum Nro. 35 bubonibus induratis, testiculis, iisque, qui simul scrophulosis affectionibus laborabant, salubre fuit.

Omnium præstantissimos effectus a decocto ex antimonio et sarsaparilla vidimus.

Communis fere est opinio bardanam, caricem arenariam sarsaparillæ æque pollere; ego hanc efficaciorem observavi. In Indiis luem veneream decocto sarsaparillæ sanant a).

---

a) Paolino Viaggio alle Indie orientali.

Cum difficulter sarsaparilla non effœta reperiatur, decoctum ligni guajaci adhiberi potest, si unciæ tres ligni guajaci rasi per triginta horas macerati in libris octo aquæ ad dimidii consumptionem coquantur.

Ruty a) affirmat, decocta lignorum præferenda esse, cum malum in ossibus hæret, quod eorum actio ad ossa usque pertingat.

Lazarus Riverius luem cum exostosibus decocto guajaci et antimonii curavit. Henricus III. Galliarum rex sudore, decocto lignorum excitato absque hydrargyro sanatus fuit.

Famosus Udalricus de Hutten novem annis lue torquebatur, undecies absque effectu salivationi submissus, decocto guajaci curabatur.

Celeber. Fordyce decoctum sarsaparillæ commendat tum, cum ossa squammosa præcipue læsa sunt, vultque frictiones mercuriales prius adhiberi; idem in scabie venerea, aut quoties ægri ante mercurio, vel absque debita methodo, vel sine fructu usi fuere, salutare esse merito contendit.

Citius, faciliusque agit apud eos prædictum decoctum, quibus antea mercurius propinabatur; quamvis aliquos quoque sanaverim, nullo seu interne seu externe adhibito mercurio.

---

a) Pag. 137.

Idem remedium in tophis, scabie venerea, præcipue in doloribus osteocopis maximam utilitatem adfert. Tum vero lecti calore sudor expectandus, et primæ antea viæ expurgandæ sunt. Sumitur pondere libr. j—jj. quater per diem.

Decoctum sarsaparillæ ex priore decoctione residuæ potui servire potest.

In valde emaciatis decocta sudorifera minus conveniunt.

Lenia purgantia cum mercurio dulci inter decocti usum optimo successu propinantur; semper tamen virium, symptomatum et morbi vehementiæ ratio habenda est.

Mercurius dulcis fulvi coloris notat hydrargyrum non debite dulcificatum et remedium infidum esse.

Miram quoque vim in phthisi et tabe venerea debellanda exeruit decoctum ex antimonio et sarsaparilla paratum.

Verum a minore dosi v. g. unciis duabus incipiendum, quæ altera, aut tertia quavis hora sumatur. Nonnunquam tamen vel hæc quoque portio, quamvis exigua, pectoris obpressionem inducit, quæ nisi leni facta venæ sectione, et exhibito simul lacte tollatur, ulteriorem prædicti decocti usum vetat.

Si ægri viribus sint valde fractis, corticem

peruvianum præbere, atque etiam, nutriendi causa, lac addere oportet.

Nonnulli in phthisi venerea lac capræ commendant, cui frictiones mercuriales factæ sint. Verum sæpius frictionibus ejusmodi capræ fauces tumescere solent, quare alimenta respuit, et ad lactandum inepta efficitur.

Phthisicis et scorbuticis venerea labe infectis infusum malti pulchre prodest.

Dexterrimus chirurgus Zeller observavit, sanationem in malo celtico adfectis, quorum pupilla valde dilatata est, tardius procedere. In ejusmodi ægris lingua, ut plurimum impura est, neque antivenerea prosunt, antequam solventibus et leniter evacuantibus corpus purgetur.

Sollicite quoque in id inquirendum est, an non alius cum lue morbus conjunctus sit; persæpe enim omnis medicinæ vis ac efficacia lui opponitur, ea vero symptomata, quæ suam originem alteri morbo debent, negliguntur; quo fit, ut in deterius ruant ægri.

Quidam in curanda lue venerea mercurium sublimatum corrosivum, spiritu frumenti solutum, laudant, quidam eum rejiciunt.

Abrahamus Gordon a) egregiam se ejus opem

---

a) Medical observations and inquiries. V. I. 1758. pag. 369.

ac vim vidisse testatur. Nosocomii ad S. Marcum quondam Physicus Locher jam fato functus retulit, omnes fere, qui lue venerea adfecti erant, mercurio sublimato corrosivo sanatos fuisse; verum acta suecia nos docent, sublimatum pluribus quidem exhibitum fuisse, sed uni, alterive solum profuisse, multos denuo in idem malum recidisse, alios omnino levatos non fuisse, imo malo hypochondriaco, pectoris pravis adfectionibus, vomituque vehementi correptos, etsi aqua cinnamomi, camphora etc. adderentur.

Observata memorati Locher non omnem fidem merentur.

Parisini funestos effectus post usum sublimati internum viderunt a).

Wathen testatur b) dolores nocturnos, exostoses, et cutis eruptiones minui quidem hoc medicamine, sed paullo post recrudescere.

Russi c), qui ceteroquin mercurii sublimati usum commendant, insinuant tamen, eum absque balneo non profuisse. Simul decoctum sarsaparillæ celebrant, cum nonnulli mortui fuerint, quibus sudor non exprimeretur.

Minus tutus est sublimati usus cum mica pa-

---

a) Memoires de l'Academie Royale de chirurgie. T. III. a Paris 1768.

b) Observ. pract. de lue venerea.

c) Petersburger Journal May 1730. pag. 321.

nis in pilulas formatus, Cl. Mertens perniciosos inde effectus vidit.

Mixturæ Swietenianæ syrupus althææ addendus non est, cum præcipitatio sublimati animadvertatur.

Novi equidem nonnullos, quibus sublimatus auxilio fuit; aliis tamen nocuit, et contractiones membrorum, nervorum insanabiles morbos, hæmoptyses, et phthises lethales ex ejus usu provenire vidi. Forte in hominibus robustis, aut iis, qui pastaceo sunt habitu, quandoque locum habere posset, at in ægris valde irritabilibus, vel debili pectore præditis, in tussi item sicca, et hæmorrhagiis merito ejus usum damnat Ill. Baro Störck a).

In nosocomio generali sublimati usus internus meo consilio rarissimus erat.

Quandoque tamen in perfecta lue bonos edidit effectus, si libris duabus decocti sarsaparillæ vel ligni guajaci, viginti, aut triginta guttæ liquoris mercurialis D. V. addantur.

Uncia una hujus liquoris fere granum unum mercurii corrosivi continet.

Inprovide lactantibus exhibetur causticum hoc ac violens remedium, quod teneræ pusillorum fabricæ omnino non convenire videtur. Ti-

---

a) Tom. II. pag. 264.

mendum etiam, ne infantes copiosiore salivæ secretione, quæ frequenter inde sequitur, suffocentur.

A pilulis Keyserianis, quæ virtutem suam omnem mercurio debent soluto in aceto concentratissimo, colicas gravissimas, hypercatharses et febres lentas enatas observari.

Opium contra luem veneream a multis commendatur.

Testante Hunter non juvat in lue confirmata, sed dolores lenit; convenit, ubi ægri a mercurio læduntur.

Juvat quoque in ischuria venerea ex gonorrhœa maturius subpressa.

Fernelius et alii jam opium in lue celtica adhibuerunt.

Laudatur quoque in morbo celtico lobelia longiflora in decocto, sed caute adhibendam esse Ill. Murray a) præcipit. Ego, cum nulla ejus copia Viennæ fuerit, nihil quidquam de proprietate hujus remedii asserere possum.

Cl. Budensis Professor Winterl litteris Viennam missis retulerat, morbos venereos in Hungariæ confinibus a mulieribus ope radicis astragali exscapi sanari. Itaque Ill. B. de Störk, cui plurima in re medica debemus, quam humanissime a me petiit, ut hujus medicamenti usum in

---

a) Pag. 516.

nosocomio generali tentarem; cui petitioni, ut satisfaceremus, quantocius illud exhibuimus.

Cum nulla dosis, neque methodus sumendi medicamenti determinata esset, hac formula usus sum:

℞. Rad. astragal. exscapi unc. ß.
Coque in xv unc. aquæ, donec libra una supersit.
Sumat æger tepide mane ac vesperi.

Decoctum istud satis gratum saporem præsefert, atque ad infusum liquiritiæ prope accedit.

Cum hujus radicis copiam tantam, quanta ad plura capienda experimenta necessaria foret, non obtinuissem, multa experimenta instituere non licuit.

In aliquibus ægris doloribus osteocopis affectis profuit; in aliis vero voto non respondit, ut inter specifica remedia collocari non possit; in doloribus tamen osteocopis multum levaminis tulit, præcipue radix recens, quæ alvum magis movet.

Berolinenses cum successu astragalo utebantur.

Nomina remediorum.

Olim usitata.	*Nunc recepta.*
Abrotanum - - -	Artemisia abrotanum.
Oleum sulphuris -	Acidum sulphuric. concentratum.
Aloë sucoterina - -	Aloë spicata.
Alumen - - - -	Sulfas acidulus aluminæ et lixivæ.
Ammoniacum - -	Heracleum gummiferum
Angelica - - - -	Angelica archangelica.
Armoracia - - -	Cochlearia armoracia.
Arsenicum album -	Acidum arsenicosum.
Assa fœtida - - -	Ferula Assa fœtida.
Bardana - - - -	Arctium lappa.
Belladonna - - -	Atropa belladonna.
Bensöe - - - -	Styrax benzoin.
Borax - - - -	Boras sodæ alcalescens.
Calx viva - - -	Calx pura ex carbonate calcis per ustionem parata.
Camphora - - -	Laurus camphora.
Cantharis - - -	Meloë vesicatorius.
Castoreum - - -	Castor fiber.

Centaurium minus -	Erithræa centaurium.
Chamomilla romana	Anthemis nobilis.
Chamomilla vulgaris.	Matricaria chamomilla.
China flava vel cortex regius - - - -	Cinchona cordifolia.
Cicuta vulgaris - -	Conium maculatum.
Cinnamomum occidentale seu cassia lignea.	Laurus cinnamomum occidentalis.
Colocynthis - - -	Cucumis colocynthis.
Daucus - - - -	Daucus carota sativus.
Dulcamara - - -	Solanum dulcamara.
Enula - - - -	Inula hellenium.
Filix mas - - -	Aspidium filix mas.
Galbanum - - -	Bubon galbanum.
Gramen - - - -	Triticum repens.
Gummigutta - - -	Stalagmites Cambogioides.
Hedera terrestris -	Glechoma hederacea.
Imperatoria - - -	Imperatoria ostruthium.
Ipecacuanha - - -	Psychotria emetica.
Lactuca sylvestris -	Lactuca scariola.
Melilotus - - -	Trifolium melilotus officinarum.
Millefolium - - -	Archillea millefolium.
Nitrum - - - -	Nitras lixiviæ.
Papaver album - -	Papaver somniferum.
Pulegium - - -	Mentha pulegium.
Pyrethrum - - -	Anthemis pyrethrum.
Rosmarinus sylvestris	Ledum palustre.
Sabadilla - - - -	Veratrum sabadilla.
Sabina - - - -	Juniperus sabina.
Sal amarus - - -	Sulfas magnesiæ.
Sal ammoniacus.	Murias ammoniæ.
Sal communis.	Murias sodæ.
Sal mirabilis Glauberi.	Sulfas sodæ.

Salicaria - - - -	Lythrum salicaria.
Scordium - - -	Teucrium scordium.
Senna - - - -	Cassia lanceolata.
Serpentaria virginiana	Aristolochia serpentaria
Styrax calamita - -	Styrax officinalis.
Taraxacum - - -	Leontodon taraxacum.
Crystalli tartari - -	Tartris lixivæ acidulus depuratus.
Tragacantha - -	Astragalus gummifer.
Trifolium fibrinum -	Menyantes trifoliata.
Valeriana sylvestris	Valeriana officinalis.
Spiritus Mindereri -	Acetas ammoniæ solutus.
Saccharum saturni -	Acetas plumbi acidulus siccus.
Acetum lythargyri -	Acetas plumbi acidulus solutus.
Spiritus salis acidus.	Acidum muriaticum dilutum.
Spiritus salis ammoniaci causticus.	Ammonia pura liquida.
Spiritus cornu cervi	Carbonas ammoniæ alcalinus pyro-oleosus.
Sal tartari - - -	Carbonas lixivæ alcalinus.
Magnesia muriæ -	Carbonas magnesiæ.
Soda depurata - -	Carbonas sodæ alcalinus crystallisatus.
Extractum martis cum succo pomorum -	Extractum malatis ferri.
Lapis causticus - -	Lixiva pura.
Flores salis ammoniaci martiales - - -	Murias ferri ammonicalis.
Mercurius sublimatus corrosivus - -	Murias hydrargyri corrosivus.

Mercurius dulcis -	Murias hydrargyri mitis.
Lapis infernalis - -	Nitras argenti fusus.
Oleum Dippelii - -	Oleum animale æthereum.
Sulfur auratum antimonii - - - -	Oxydulum stibii hydrosulfuratum aurantiacum.
Kermes minerale -	Oxydulum stibii hydrosulfuratum rubrum.
Linimentum volatile	Sapo ammoniæ.
Liquor anodynus mineralis - - - -	Spiritus ætheris sulfurici
Vitriolum ferri artefactum - - - -	Sulfas ferri purus.
Arcanum duplicatum	Sulfas lixivæ.
Sal mirabilis Glauberi	Sulfas sodæ crystallisatus.
Aethiops antimonialis	Sulfuretum hydrargyri stibiatum.
Hepar sulfuris - -	Sulfuretum lixivæ.
Tartarus emeticus -	Tartras lixivæ stibiatus.

Formulæ

Nro. 1.

℞. Aqu. commun. unc. vjjj.
Sal. mirabil. Glaub. dr. vj.
Syrup. rub. idæi unc. jß.
℞. Aqu. font. unc. x.
Arcan. dupl. unc. ß.
Oxymell. simpl. unc. j.

Sumat omni bihorio dimidium vasculum, donec purgetur.

Nro. 2.

Electuarium lenitivum antiqu. Dispens.

℞. Pulp. prunor. libr. jß.
Roob sambuc. libr. ß.
Pulv. folior. senn.
Cremor tartar. aa. dr. jjj.
Mell. despumat. q. s.

Electuarium lenitivum Disp. novi.

℞. Pulp. prunor. libr. jβ.
Roob samb. libr. β.
Tartritis acidul. lixivæ unc. jjj.
Mell. despumat. qu. s. ut fiat electuarium.

Nro. 3.

℞. Semin. melonum.
Amygdal. dulc. aa. unc. j.
F. cum aqua l. a. emulsio libr. jβ.
Add.
Nitri puri scrup. j.
Sacchar. q. s. ad gratiam.

Nro. 4.

℞. Aqu. flor. sambuc. unc. vjjj.
Spirit. Minderer. unc. β.
Syrup. sambuc. unc. jβ.

Nro. 5.

℞. Acetos. cum toto unc. jjβ.
Coque per $\frac{1}{4}$ horæ partem in s. q. aqu. colatur. libr. jjβ.
Add.
Oxysacchari q. s. ad gratiam.

℞. Ribesiorum maturorum vel ceras. matur. subacid. recent. libr. ß.
Infund. per ⅛ horæ partem
Aqu. fervid. conquass. colat. libr. jjj.
Add.
Syrup. simpl. unc. jß.
Sumat pro libitu.

Nro. 6.

℞. Ferment. pan. libr. ß.
Pulv. semin. sinap. unc. j.
Acet. q. s.

Nro. 7.

℞. Cortic. peruv. select. dr. vj.
Coque in s. q. aqu. per horam semis colat. libr. j.
Add.
Aceti vel succ. citri unc. ß.
Syrup. rub. idæi q. s. ad gratiam.

Nro. 8.

℞. Mosch. gran. j.
Sacchar. scrupul. j.
F. Pulvis.

Nro. 9.

℞. Olei succini rectificat. unc. j.
Spirit. nitr. fumant. unc. jv.

Spiritus nitri caute et sensim instilletur in oleum succini. Mistura per aliquot dies in quiete maneat, et pars resinosa separata et aqua calida aliquoties abluta servetur.

Nro. 10.

℞. Vitriol. alb. dr. ß.
Solve in unc. jj. aquæ commun.

Nro. 11.

℞. Aqu. meliss. unc. jv.
Tinctur. castor.
Spirit. corn. cerv. aa. gutt. xvj.
Sacchar. scrupul. j.

M i t i o r.

℞. Spirit. corn. cerv. succin. dr. j.
Tinct. castor. gutt. xxx.
Aqu. meliss. unc. jv.
Sacchar. scrupul j.

Nro. 12.

℞. Rad. colomb. dr. jß.
Coqu. per $\frac{1}{4}$ hor. partem

Colat. libr. j.
Add.
Gumm. arab. dr. jj.
Sacchar. q. s. ad gratiam.

Nro. 13.

℞. Alumin. gr. jj.
Sacchar. scrupul. j.

Nro. 14.

℞. Extract. amaricant. dr. jj.
Gumm. galban. dr. j.
F. l. a. pilul. gran. jjj.
Consperge pulv. liquirit.

Nro. 15.

℞. Aqu. commun. unc. jv.
Sal. amar. dr. jj.

Nro. 16.

℞. Juris carnium unc. jv.
Spirit. sal. gutt. jjj.

℞. Lact. recent. unc. vj.
Vitell. ovi Nro. 1.
Divide in duas doses.

Nro. 17.

℞. Herb. plantag. latifol.
— sanguisorb. aa. unc. j.
Folior. rosar. rubr. unc. ß.
Coqu. cum libr. jß. aqu. font. facta una alterave ebullitione cola.

Nro. 18.

℞. Fol. malv. libr. j.
Farin. fabar. unc. jv.
Coq. cum aqua in cataplasma.

Nro. 19.

℞. Rad. alth. unc. ß.
Stipit. dulcamar. dr. jß.
Coque per $\frac{1}{4}$ horæ partem in aqua, colat. unc. xjv.
Add.
Spirit. Minderer.
Syrup. alth. aa. unc. ß.

Nro. 20.

℞. Olei amygdal. recent. pres. unc. jß.
Gumm. arab. unc. ß.
Syrup. diacod. unc. j.

Nro. 21.

Aqua carminativa Disp. V.

℞. Flor. chamomill. roman. unc. jjj.
Cort. aurant.
— citri.
Herb. absynth. pont.
— menth. crisp.
Semin. coriandri.
— carvi.
— fœniculi aa. dr. vj.

Conscissa et contusa macerentur per viginti quatuor horas in aquæ font. libr. vjjj. et abstrahatur medietas.

Nro. 22.

℞. Aqu. commun. unc. jjj.
Tartar. emet. gran. jjj.

Nro. 23.

℞. Cumm. ammoniac. aceto scillitico soluti drachm. jj.
Aqu. hyssop. unc. vj.
Syrup. — unc. j.

Nro. 24.

℞. Rad. symphyth. unc. β.

Herb. agrimon.

— urtic. minor. aa. unc. j.

Coque per $\frac{1}{4}$ horæ partem in aqua, colat. libr. jβ.

Add.

Syrup. diacod. unc. j.

Nro. 25.

℞. Alumin. crud. gran. jjj—vj.

Gumm. arab. gran. vjjj.

Sacchar. scrupul. j.

M. F. Pulvis.

Nro. 26.

℞. Rad. polygal. amar. unc. jj.

Coque per $\frac{1}{4}$ hor. partem in aqua, colat. libr. jβ.

Add.

Rad. liquirit. unc. β.

Infunde per $\frac{1}{8}$ horæ partem, colaturam exhibe.

Nro. 27.

℞. Lichen. island. unc. j.

Coqu. per $\frac{1}{4}$ hor. partem in aqua communi.

Add.
Rad. liquirit. dr. jjj.
Colat. unc. xjv. exhibe.

Nro. 28.

℞. Rad. valerian. dr. jj.
Gumm. galban. dr. j.
Assæ fœtid. scrupul. j.
F. l. a. pilulæ gran. jjj.
Consperge pulv. liquirit.

Nro. 29.

℞. Acet. scillitic. partem j.
Sacchar. albi. partes jj.
Unica ebullitione remove ab igne.

℞. Scill. maritim. leviter siccat. unc. j. huic adfunde
Vini boni unc. xvj.
Stet infusio hæc per horas xxjv in loco moderate calido, vase tecto.

Colatum coquatur cum duplo sacchari una ebullitione in syrupi consistentiam.

Nro. 30.

℞. Tinctur. mart. unc. jj.
Solve extract. hellebor. nigr. scrup. jj.

Nro. 31.

℞. Cort. simarub. dr. jj.
Coqu. in libr. binis aquæ ad tertiæ partis consumptionem.

Nro. 32.

℞. Farin. fabar. libr. j.
Sapon. unc. jv.
Herb. cicut.
— arnic. aa. unc. jß.
Coque in aqua in cataplasma.

Nro. 33.

℞. Sulphur. aurat. antimon. unc. j.
Alcal. mineral. caustici unc. jjj.
Aquæ destill. unc. xvj.
Coquantur in sartagine ferrea ad perfectam sulphuris solutionem
Addendo tunc
Olei amygdalar. unc. v.

Sub continua agitatione, leni igne evaporentur in saponem.

Nro. 34.

℞. Pulv. rad. gentian.
— — galang.
— baccharum lauri.
— — juniper.

Pulv. myrrh. aa. unc. j.
Mellis despumati libr. j.
M. in electuarium.

Nro. 35.

℞. Antimon. in petia ligati unc. j.
Lign. juniper. libr. j.
Coque in libris xjj. aquæ ad dimidii remanentiam sub fine coctionis
Add.
Rad. liquirit. unc. j.

Nro. 36.

℞. Acet. rut. libr. jv.
Camphor. dr. jjj.
Servetur in lagena vitrea bene clausa.

Nro. 37.

℞. Muriatis hydrargyri mitis unc. jj.
Lixivæ puræ unc. vj.
Aqu. destill. libr. j.

Ebulliant in cucurbita vitrea subinde agitando per horam. Lixivio limpido muriatis lixivæ defuso, oxydulum perfecte edulcatum et leni calore exsiccatum servetur.

Errata,

quæ ob frequentes ægritudines auctoris partem hanc operis sui corrigentis subrepsêre, saltem notabiliora quædam emendantur.

Tom. I.

pag.	lin.	loco.	leg.
1	15	pathognomicum	— pathognomonicum.
2	8	φειον	— Θειον.
4	15	ægrotes	— ægrotos.
5	9	hæmitritææ	— hemitritææ.
10	4	vicibus	— vivicibus.
12	5	hepatilis	— hepatitis.
—	27	viscerie	— viscerum.
15	24	actius	— aptius.
23	15	adenuit	— ademit.
26	2	spectum	— sputum.
28	12	cam	— cum.
32	12	efficactor	— efficacior.
35	22	manoides	— maniodes.
36	5	Nro. 7. deleatur.	
—	6	Nro. 8.	leg. Nro. 11.
—	13	Nro. 9. ponatur in lin. 15.	
—	21	post temporibus	— admotum.
43	17	sæpius cochlear dimidium	— bihorio cochlear dimidium.
—	ult.	non. plus del.	non.
45	17	Nro. 11 deleatur.	
48	18	certa. leg.	certo.
50	17	acquisitio	— acquisito.
51	23	Putridam	— Putrida.
54	25	simuletur	— simulet.
56	ult.	accreditur	— ac creditur.
67	12	acervum	— acerbum.
70	19	unica	— uncia.
73	8	cornu cervi add.	dosi.
—	11	periebant leg.	peribant.
78	23	corticis perge	— cortice pergere.
80	21	tenso add.	, manum.
82	21	die	— unum, duo.
87	1	vul leg.	vult.
91	9	muco	— mucoso.
—	19	, emnis	— omnis.
93	3	usu	— usum.
94	14	mislum	— mistum.
—	15	nonnunquam del.	;

pag.	lin.	loco.		leg.
95	17	utahantur	—	utebantur.
98	18	cum stipitum dulcamaræ	—	stipitum dulcamaræ cum
102	10	faifuraceæ	—	furfuracce.
108	4	acer	—	acor.
110	24	hemores	—	tremores.
120	21	Nro. 18	—	Nro. 20.
135	11	in quibus	add.	, licet.
—	25	annos	—	epidemiæ regnabant,
139	7	laudat	del.	
—	8	Pauca etc. pon. post emergebant.		
148	14	Nro. 12.	del.	
153	16	quamvis	leg.	quavis.
154	13	talis	—	tali.
—	20	peccator	—	peccatur.
155	penult.	discaschos	—	diseases of.
157	4	obiernnt	—	abierunt.
161	15	similos	—	similis.
162	7	veto	—	voto.
171	9—15	Nro. 13 14	del.	
180	5	limiter	leg.	limites.
—	12	variosa	—	varicosa.
—	23	noritur	—	nascitur.
181	11	imnere	—	imminuere.
182	26	Nro. 22	del.	
187	16	argebat	leg.	urgebat.
192	—	omnis	—	ominis.
194	19	Nro. 7	—	acriora Nro. 6.
197	ult.	vincere	—	vincire.
201	2	evacuationem	—	evacuationum.
—	18	devetur	—	elevetur.
215	23	provectio	—	provecto.
217	ult.	valeriano	—	valeriana.
222	13	albidæ	—	albida.
—	15	mole	—	molle.
224	penult.	electuario	add.	lenitivo.
225	11	fætor		intollerabilis præcedebant
227	ult.	a) T. III. p. 53.	del.	et totum corpus livore.
230	18	Nro. 15.	del.	
233	24	decretatione	—	decertatione.
236	7	sensibus	—	senibus.
240	9	Porro	—	Ponto.
241	2	re	—	ne.
—	ult.	Alinorca	—	Minorca.
244	3	possunt	—	potest.
—	8	continuantibus	—	continuante.
245	1	sanguineam	—	coloris sanguinei.
—	10	addendæ	—	addenda.
246	19	emendavit	—	commendavit,
—	24	tenerioribus	—	tenerioris.
251	11	Nro. 17	—	Nro. 23,

pag.	lin.	loco.		leg.
252	8	Nro. 18 del.		
259	5	inflammatoriæ	—	inflammatoriâ.
265	19—20	similes notant	—	similis notat.
271	8	dissentum	—	distentum.
—	11	pulinæ	—	pulmo.
—	15	hæ	—	hæc.
273	12	spongea	—	spongia.
283	1	ea	—	ex.
286	13	ruatus	—	ructus.
289	1	cievit	—	civit.
290	16	tertia	—	tertiæ.
297	5	Ruisienses	—	Roitschenses.
298	ult.	extensum	—	extensa.
312	23	prægressus	—	prægressis.
313	11	vomitæ	—	vomicæ.
336	2	diaphragmaticis	—	diaphragmatis.

Tom. II.

320	18	Nro. 36 deleatur.

